*Magnum Sigillum M. D. Lith. Cancellariæ.*




*Minus Sigillum M. D. Lith. Cancellariæ.*



# COMMENTARIVS
DE
# MARESCHALCIS
REGNI POLONIÆ
CVM DVPLICI
MANTISSA
*DE*
# MARESCHALCIS & CAN-CELLARIIS
M. DVCATVS LITHVANIÆ
AC
SERENISS. REGINÆ
*ADDITIS*
FIGVRIS SIGILLORVM LITHVAN. ÆNEIS
EDITVS
A
GEORGIO PETRO SCHVLTZ
DOCTORE ET PROFESSORE THORVNIENSI.

DANTISCI. MDCCXLIII.

APVD GEORGIVM MARCVM KNOCH.

E.XXVII 293

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. FRANCISCO
COMITI IN RADZYNIN
ET KARCZEW
BIELINSKI,
SUPREMO REGNI MARE-
SCHALCO,
BRODNICENS. OSIECEN. &c.
CAPITANEO,
DOMINO LONGE GRA-
TIOSISSIMO.

Ad regalis Scipionis Tui pedem mea quoque devolvitur tenuitas, COMES ILLUSTRISSIME, ſummæ, qua fas eſt, venerationis erga TE meæ declarandæ poteſtatem quam ſubmiſſiſſime exoratura.

Quanquam quid anxia apud EUM exoratione opus eſt, quem & aviti ſplendor Generis, & ſummæ Dignitatis purpura, & Virtutum omnium quidam veluti concentus non magis effecêre Illuſtriſſimum, quàm Humaniſſimum?

Et BIELINSKIANAE quidem Proſapiæ ſi originem, ſi Famam, ſi Merita perpendam, quibus patrium Orbem à tot inde ſeculis illuſtravit, in ſtuporem raperer & admirationem, niſi Tua, EXCELLENTISSIME DOMINE, Meritorum decora tantum illi fulgorem addidiſſent, ut renaſci quaſi, ac de novo coruſcare per TE

videantur. Adeò degenerare neſcit generoſus ignis, nec deliteſcere Virtutis flamma poteſt, tot inter Avitorum Meritorum faces. Nimirum

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

In TE iſta Venuſini vatis quam pulcherrimè quadrant, ILLUSTRISSIME COMES! quem magni PARENTIS pulchrè olim præeuntis exemplum tam preſſis hactenus gradibus inſiſtentem Orbis admiratus eſt Polonus, ut Ille aquila ſoli advolans, TU pullus ſtrenuè inſequens cunctis videaris, addito lemmate:

Patris ad veſtigia natus.

Adeo TU gentilitiis auſibus propius ad Regalem Thronum advolaſti, propior ut avita tua progenies PRINCIPI CLEMENTIS-

TIS-

TISSIMO eſſet, a quo ſuum mutuat ſplendorem. Fas quippe erat, ſecundum poſt REGEM in regendis Aulæ negotiis eſſe, qui in gerendis ſummi ponderis rebus primum ſemper ſeſe præbuit præſtititque.

Ibit certè in ſeros poſteros, & TE æternitatis inſinuabit faſtis, PROCERUM DIGNISSIME, qua fide, qua autoritate, prudentia, providentiaque graviſſimum Mareſchalci Curiæ R. munus obieris, jamque ſupremum illud, faxit DEUS diu! obeas, quod S. R. MAJESTATIS tutelare, Senatûs & Comitiorum præſidiarium, Regni atque Reipublicæ præcipue honorarium audit. Ecquis non vigilantiſſimam illam boni ordinis Cuſtodiam, illam ſecuritatis publicæ ſollicitiſſimam procurationem, illam Legatos excipiendi, hoſpitandi, producendi comitatem, curam, majeſtatem in TE non admiretur, EXCELLENTISSIME DOMINE, quem benigniſſima divini Numinis

gratia iis præſertim animi corporisque dotibus ad usque invidiam inſtruxit, quæ tanto Muneri rite & ex voto Regni, Regis, Reipublicæ perfungendo ſunt aptiſſimæ.

Jam ſi cum reliquis Virtutibus Tuis parem calculum ponere, easdemque vel enarrare ſaltem, non deprædicare auderem, quid niſi actum agerem, ſolique faculam accenderem, aut aquam affunderem Oceano? Ita enim incentiva Tua Humanitate imperas ingeniis, ita faſcinas animos, ut non SERENISSIMI modò Procerumque mentes TIBI obſtringas; ſed omnibus omnino, quibus in notitiam Tuam perveniendi honor meliorque fortuna contingit, ſacrum quendam & occultum TE colendi, TE venerandi incutias inſtinctum. Quin nec eos remoraris, GRATIOSISSIME DOMINE, qui TIBI innoteſcere geſtiunt propius, quippe hoc à naturæ benignitate nactus ingenium, ut de minimis etiam mereri cupias maxime, nec

gra-

gratiarum modum ponere queat accipientis tenuitas.

Atque hac eâdem celebratiſſima Tua Humanitate illecto mihi dabis veniam, ILLUSTRISSIME COMES, ſi præſens hoc celebris Schultzii opuſculum impenſis meis luci publicæ expoſitum Tuis pedibus ceu inclinati animi teſſeram quàm devotiſſime adſternam.

Neque verò ſolus in Tuæ Amplitudinis atria peregrinus hoſpes venio; ſed Viros mecum principes, ſummos Miniſtrorum arbitros, Procerum digniſſimos induco, h. e. Tuos ANTECESSORES: qui nullibi hoſpitari ſvavius, a nemine excipi benignius poſſe credunt, quam abs TE, DOMINE GRATIOSISSIME, in quo Uno velut concentratum videtur, quicquid Meritorum Virtutumque in prioribus ſparſim natura diſtribuit.

Suſcipe

Suſcipe igitur, ILLUSTRISSIME DOMINE, tenues has devotiſſimi animi eclogas eâ frontis ſerenitate, quâ excipere cunctos aſſoles, quibus ad Indulgentiæ Tuæ aras devolvi contingit, ac pro incolumitate Tua, qua publica dependet ſecuritas, privata ardentiſſimaque Vota nuncupantem Tuo gratioſiſſimo favore dignare

ILLUSTRISSIME,
EXCELLENTISSIME
DOMINE,

Illuſtriſſimi Nominis Tui

Gedani, d.
A. C. MDCCXLII.

Submiſſiſſimum Cultorem
GEORG. MARCUM KNOCH,
BIBLIOP. GEDANENS.

# ARGVMENTA.

§. 1. *Qui Mareſchalci intelligantur?*
§. 2. *Nomen.*
§. 3. *Origo.*
§. 4. *Supremi Mareſchalci forte priores.*
§. 5. *Soli Seculares hoc funguntur munere: in Comitiis & extra Comitia conferri poteſt.*
§. 6. *Ceremoniæ creationis & juramentum.*
§. 7. *Cum aliis ſupremis officiis Regni conjungi non debet hoc officium; & tamen quandoque conjunctum.*
§. 8. *Quando in Senatum venerint, & qui ſedendi locus.*
§. 9. *Titulus.*
§. 10. *Succedendi conſvetudo.*
§. 11. *Prærogativa Mareſchalcorum Supremorum Regni.*
§. 12. *Series & Index eorundem, ut & Familia & Inſignia.*
§. 13. *Qui hoc officio privati ſint violenter.*
§. 14. *Munia & expeditiones* vivo Rege.
1.) *Scipiones ſeu baculos præferunt Regi.*
2.) *Pompas & ceremonias ſolennes moderantur.*
3.) *Tranquillitati in ſede Regia proſpiciunt.*
4.) *Annonam curant.*
5.) *Judicium Mareſchalcale exercent.*
6.) *Judicium Kapturale tempore Electionis quomodo expediant.*
7.) *Admonere poſſunt Regem.*
8.) *Providi ſunt circa actiones & conſilia Regis.*
9.) *Legatos exterorum Principum introducunt, hoſpitiaque illis adſignant.*
10.) *Reges proficiſcentes in Regno ſi comitantur, quid agant & juris exerceant.*
11.) *Abſentibus Cancellariis reſponſa dant nomine Regis.*
12.) *Abſentium Ducum Exercitum vices explent.*
13.) *In Comitiis loquendi facultatem rogati concedunt & temperant.*

14.) *Eorum munia circa Conſtitutiones.*
15.) *Quid muneris, ſi Reges creantur Equites Ordinis alicujus Equeſtris.*
16.) *Officia circa Inveſtituras ſolennes.*
17.) *Quid in abdicatione ſpontanea Regum agant.*
18.) *Legatorum munere functi.*
19.) *Invigilant, ut Pacta Conventa obſerventur.*
20.) *Habent juriſdictionem in Aulicos.*
21.) *Renunciant Cancellarios.*
22.) *Extra Regnum proficiſcentem Regem ſecuti, adminiſtrant munia.*
23.) *Sententias ferunt ſuo loco in Comitiis.*
24.) *Subſcribunt nomina ſua Diplomati Electionis.*
25.) *In ſuo Iudicio Mareſchalci utuntur Signo Natalitio.*

§. 15. *In* Interregno *quid peragant.*
1.) *Defuncti Regis corpus honorifice curant.*
2.) *Continuant & conſervant juriſdictionem ſuam.*
3.) *Præparant omnia ad Electionem neceſſaria.*
4.) *Legatos ad audientiam introducunt.*
5. Poſt Electionem *quid muneris.*
6. Circa Coronationem *quid praſtent.*

§. 16. *Singularia & Libri Mareſchallorum.*

*Documenta & Augmenta.*

## §. I.

Quamplurimi licet exiſtant, ſoleantque exiſtere Mareſchalci in Polonia, e. gr. Nuntiorum Terreſtrium in Comitiis, quocunque nomine veniant; Confœderationum; Tribunalium Regni, aliisque in Congreſſibus ſolennioribus, quæ Directore boni ordinis causâ indigere videntur; facilè tamen apparet, me hoc loco de nullis aliis, quam Mareſchalco Regni Supremo, & Mareſchalco Curiæ Regni, Germanicè **Cron-Groß-Marſchall / und Cron-Hof-Marſchall /** verba faciendi perpauca conſilium cepiſſe. *Qui Mareſchalci intelligantur.*

## §. II.

Quamobrem gravi argumento intenti non minutias curabimus, neque de nomine Latino & Germanico tantopere erimus ſolliciti; quippe ab initio hujus Illuſtris Dignitatis planè aliam fuiſſe rationem ac poſtea & hodie, nemini rerum publicarum gnaro ignotum eſſe poteſt. Quodſi tamen quis ſe his ſubtilitatibus grammaticis & etymologicis recreare cupiat; is conferat conſulatque Speelmanni Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis, Hoffmanni Lexicon Univerſale, Beſoldi Theſaurum practicum, ſpeciatim verò Aug. Adol. ab Haugwitz Tract. de Regni & Aulæ Mareſchalcis, edit. Budiſſæ 1690. *Nomen.*

## §. III.

Originem hujus Illuſtriſſimi & ſplendidiſſimi Officii, ex Germania in Poloniam eſſe derivandam opinor non vanus; quamvis de tempore & modo nondum res evicta eſſe videatur. Nam NIESIE- *Origo.*

CKI (quem auctoritate graviorem judico, quam Naramowſkium) in Corona Polonica fol. 250 ſtatuit, quod in Hiſtotia Polonica & antiquioribus Privilegiis nulla eorum facta ſit mentio, usque ad Caſimiri Magni regimen, quo imperante anno 1366 demum florere inceperint & eluceſcere Mareſchalci. Cæterum non planè rejiciendæ ſunt conjecturæ NARAMOWSKII in Aurora Solis Sarmatici, pag. 10. ubi: *Cum*, inquit, *in multas partes, ob pluralitatem Regiæ prolis, diviſa Polonia plures Reges, uti ipſius Poloniæ, & Regem Haliciæ, multosque ſeorſivo imperio complexa Duces, uti Maſoviæ, Plocenſem, Cujavienſem, Sendomirienſem &c. & horum quilibet ſuos ſtatueret Miniſtros, proinde hos hic recenſere ſupervacaneum foret: eos tamen operæ pretium duxi inſerere, qui à tempore Ludovici Hungari, dum maximè reunita in unum vaſtumq; corpus coaluit Polonia, miniſteriis fungebantur.* (Ab anno 1380 & ſupra.) De quorum ſerie infra agendi erit locus.

§. IV.

*Supremi forte priores.* Conjecturare quoque licebit fortè mihi, Supremos Regni Mareſchalcos priores fuiſſe, ut de Supremis Cancellariis obſervavi; & Mareſchalcos Curiæ Regni, ut Pro-Cancellarios, poſteriores tempore, in ſubſidium ſcilicet, ſublevationem & caſum neceſſitatis. Cum verò & NIESIECKI & NARAMOWSKI ab eodem ferè anno Supremorum & Curiæ Mareſchalcorum ſeriem deducere, neque in priorem ortum eorum inquirere voluerint, hoc in argumento præ cæteris occupati & exercitati, nihil certi affirmare in præſenti poſſum.

§. V.

*Soli Seculares hoc officio functi; et in Comitiis et extra Comitia conſtituti.* Certum eſt interea ſolos Seculares, non Eccleſiaſticas perſonas, his muneribus eſſe admotos, ſecus ac in Cancellariis uſu fuit receptum ab initio: eosque à Regibus pro arbitrio ex Majori & Minori Polonia per Conſtitut. Caſimiri III. anno 1454 (confer. Herburt.) electos & conſtitutos eſſe, & extra Comitia & in Comitiis, neque ullam exſtare Conſtitutionem, quæ prohibeat, quo minus extra Comitia Regi liceat eosdem creare, Scriptores Juris Publici Polonici aſſerunt.

§. VI.

§. VI.

Quodſi igitur Rex Mareſchalcos eligit & inaugurari vult eosdem, tunc Supremus Regni Cancellarius, ſi adeſt, vel Pro-Cancellarius, prævia oratione Baculum ſeu Scipionem nomine Regis iisdem tradit. Pertinet huc, quod PIASECIVS in Chronic. ad ann. 1603 retulit ſeqq. *Contulerat Sigismundus III. Rex, Sigismundo Myſzkovio dignitatem Mareſchalci in Regno Supremi, obnitente Petro Tylicio, Minore Cancellario; qui vocatus à Rege ad tradendum illud officium, (ut ejus fuit muneris) valetudine infirma ſe excuſavit; iterum tamen monitus, quodſi non veniret, ipſemet Rex functionem renunciandi Marſchalci obire vellet, vel invitus adfuit, ac multa præfatus in laudem Myscoviorum, nomine Regis baculum inſigne illius Magiſtratus, ipſi tradidit.* Mareſchalcus novus baculum adeptus, gratias Regi agit, juramentum præſtat, & à præſentibus gratulationes audit atque accipit. Jusjurandum, prælegente Cancellariorum alterutro, hoc eſt: *Ego N. juro, quod Sereniſſimo Principi & Domino N. Regi Poloniæ & ejus Succeſſoribus, & Regno Poloniæ, in hoc officio Mareſchalcatus mihi commiſſo, fidelis ero, illudq́ tam in Conventibus Publicis, quam etiam in aliis locis in Aula Majeſtatis Regiæ, ſumma fide & diligentia adminiſtrabo, non privati mei alicujus quæſtus, ſed dignitatis & utilitatis tantum Regiæ, & Regni Poloniæ gratia. In Conſilium Regiæ Majeſtatis adhibitus, illud Ego fidele Majeſtati Ejus & Regno Poloniæ præſtabo. Nulla ſecreta, quæ mihi aliquando a Majeſtate Regia vel Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem, vel in præjudicium Majeſtatis Ejus & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, quæ imminere Regno & Regi Poloniæ ſcivero & opinabor, Majeſtati Ejus & cæteris Senatoribus indicabo, & pro poſſe meo avertam. Perſonæ cujusq́ Dignitatis rationem pro loco & tempore habebo. Seditiones, contentiones, rixas, ſcandala, exceſſus, maleficia ne fiant in Aula Regia & in Conventibus Publicis, omni mea opera & diligentia providebo. Quodſi fortè aliqua ejusmodi acciderint, ea, quantum in me erit, ſedabo, aut animadverſione juſta vindicabo, idq́ conſenſu, juſſu & auctoritate Majeſtatis Regiæ. Cæteraq́ officii mei munera & onera, juxta præſcriptum Statutorum Regni fideliter obſervabo, idq́ non ſine mutuo conſilio & conſenſu cæterorum Regni Conſiliario-*

*Ceremonia & Juramentum.*

*rum & Officialium, qui præſentes in Aula fuerint. Sic me Deus adjuvet & Sancta Ejus Crux!*

§. VII.

*Cum aliis Supremis officiis Regni conjungi hoc non debet ordinariè.*

Non omnes tamen fieri poſſe Mareſchalcos, neque quasvis à Rege illis poſtea conferri Dignitates, vult Ordinatio Sigismundi Auguſti Regis, an. 1565. teſte Herburto: Et in Pactis Conventis Auguſti III. (ut priora à tempore Michaelis ſeponam) §. 18 legitur: *Incompatibilia in Juribus & Conſtitutionibus deſcripta, ſcilicet Mareſchalcatus, Sigilla & Theſauriatus cum Clava, ſimul non dabimus.* Quod verò Joannes Sobieſki, poſtea Rex, & Supremus Regni Mareſchalcus & Supremus Dux Exercituum Regni fuerit, notum eſt, & plura exempla infra enarranda erunt.

§. VIII.

*Quando in Senatu locum occupaverint, et quem.*

Quando locum in Senatu Regni Poloniæ occupaverint, idque num ante conjunctionem Regni cum M. D. Lithuaniæ an. 1569 uſu fuerit receptum, diſputavimus in Commentario de Cancellariis. In conſvetis Comitiis Regni, vivo Rege, una cum cæteris Supremis Officialibus Regni & M. D. Lith. durantibus deliberationibus ad finem coronæ Senatoriæ ex oppoſito Regis in throno ſedentis, loco ſedendi in ſellis fruuntur. In Comitiis Convocationis, mortuo Rege, ante Primatem in peculiaribus ſcamnis ſedent, & inter illos depreſſiori ſcamno ſedet Mareſchalcus Nuntiorum Terreſtrium; In Comitiis Electionis ad finem coronæ Senatoriæ occupant locum. ZALASZOWSKI l. c. fol. 712 hic eſt audiendus, qui: *Mareſchalcus Curiæ Regni*, inquit, *poſt Theſaurarium Regni; Lithuaniæ verò poſt Theſaurarium ejusdem Ducatus habet locum in Senatu.* Conſtitut. an. 1635. fol. 18. De Lite Mareſchalcorum Curiæ an. 1635. quam cum Cancellariis de prærogativa loci ſerere voluerunt, egimus in Commentario cit. de Cancellariis. Addendus eſt hic ZALASZOWSKI l. c. qui ſcripſit: *De potioritate loci in Senatu & prærogativis fuiſſe exortam controverſiam inter Mareſchalcum Supremum M. D. Lith. & Mareſchalcum Regni, teſtatur Sarnitius in Statut. fol. 313. Similis controverſia exorta fuit ſub Vladislao IV. Rege, an. 1647. ſed eam ſopivit, ut videre eſt in Conſtitutionibus*

*Re-*

*Regni, ejusdem anni 1647. fol. 43. Unde hodie Supremus Mareſchalcus M. D. Lith. ante Cancellarium M. D. Lith. ut ſcripſit Zawadzki in Compendio Polonico, Cap. 2. Tit. 5. fol. 37. & innuit Conſtitut. an. 1635.* Extra Senatum quomodo præſtent officia Regiæ Majeſtati, narravit Chwalkowſki loc. cit. his: *Cum interſit Reſidentiæ Regiæ, ne unquam Officium Mareſchalcale ad Aulam vacet, debent Mareſchalci Regni & M. D. Lith. ita ſe inter ſe invicem dividere tempus, ut quilibet eorum per quadrimeſtre ad latus Regium commoretur, & munia quævis incumbentia ſine ullo reſpectu adimpleantur hoc ordine: Primus erit Supremus Regni; ſecundus M. D. Lith. poſthæc Mareſchalcus Curiæ, & denique Lithuaniæ ſuccedet, uti ordinatum legitur in Punctis anno 1632 ad Caſtra Varſavienſia porrectis.* In judiciis relationum Officiales Regni à dextris; Senatores omnes à ſiniſtris Regi adſident; Idem uſu receptum, quando ad menſam Regis invitati Officiales adſunt.

## §. IX.

Titulus eorum, quo à Rege inſigniuntur, quod cum Cancellariorum conveniat, in allegato Comment. de Cancellar. §. 13. docui. *Titulus.*

## §. X.

Ut Pro-Cancellarii Supremis Cancellariis ex gratia Regis ſuccedunt, ita Mareſchalcos Curiæ in locum vacuum Supremorum Mareſchalcorum Regni transferri, plerumque contingit; nullo tamen Juris vinculo conſtringitur arbitrium Regis atque voluntas. Hinc an. 1713. Caſimiro Bielinſki, Supremo Mareſchalco Regni, non ſucceſſit Curiæ Mareſchalcus Dąbſki, ſed Mareſchalcus Curiæ M. D. Lithvan. Mniſzek. *Plerumque ſibi invicem ſuccedunt.*

## §. XI.

Prærogativa Supremi Mareſchalci ex eo elucet, quod illo præſente Mareſchalcus Curiæ planè nullam habeat poteſtatem vel exercere poſſit; ſecus ac in Cancellariis. Ita enim ZALASZOWSKI l. c. *Notandum, quod abſente Supremo Regni Mareſchalco, Curiæ Mareſchalcus vices ipſius gerit, eamq; poteſtatem habet, quam ille. Et ut in abſentia illius poſſit melius proſequi & exequi id, quod bono ordine per Mareſchalcum Supremum Regni rectum & ordinatum erat; tenetur Mareſchalcus Supremus* *Prærogativa Supremi Mareſchalci*

Regni,

*Regni, Mareſchalcum Curiæ ad omne Officii Mareſchalcalis exercitium & actionem vocare, & recedens à Curia Mareſchalco Curiæ regeſtra & adminiſtrationem officii tradere. Ita Alexander Rex, loc. cit. apud Herburt. & Laſcium fol. 112. Sed de conſvetudine officium Mareſchalci Curiæ vix aliquando in uſu eſt, & præſente Mareſchalco Supremo Regni, ceſſat totaliter poteſtas Curiæ.*

§. XII.

*Series, Nomina et Inſignia.*

Seriem Mareſchalcorum Supremorum & Curiæ, unà cum Familiis & Inſignibus Natalitiis, ex Nieſięcki & Naramowſki, quam conſignavimus, infra inter Documenta & Augmenta *Lit. C.* legere poteſt L. B. & OKOLSKI, PABROCKI, aliosque evolvere Artis Heraldicæ Scriptores Polonicos.

§. XIII.

*Qui Mareſchalcatu cedere coacti ſunt infeliciter.*

Mareſchalcos, ſi officia incompatibilia, ut loquimur, ſunt adepti, Scipiones Regi reddere, ut pro arbitratu ſuo aliis conferat, ordinarium eſt; ſed infelicitas maxima contigit quibusdam, qui coacti & damnati hos amiſerunt illuſtriſſimos Magiſtratus. Eminet triſtis caſus Georgii Lubomirſkii, de quo infra; & ante ejus ætatem Andreæ Zbrowſki, de quo etiam alio loco erit agendum.

§. XIV.

*Munia Mareſchalcor. vivo Rege.*

Munia Mareſchalcorum Regni Supremorum, & iis non præſentibus, Mareſchalcorum Curiæ, diſtingvemus in ſeparata tempora, ſcilicet Regis vivi, Interregni, Electionis & Coronationis. Quamobrem initium facientes de muniis vitam agente Rege & regnante, adnotamus ſequentia:

*Scipiones ſeu Baculos præferunt.*

1. Scipiones ſeu Baculos Mareſchalcales erectos præferunt Regi coronato, ſine medio ſeu immediate; ſic ut Principis filii patrem Regem non præcedant, ſed ſequantur. Quamobrem mirum eſt, quod Joannis III. Regis vidua poſtulaverit, ut filii ſui Regi electo & coronato Auguſto II. p. m. præire, & Mareſchalci cum Baculis eosdem prægredi deberent; ſed fruſtra: quippe referente ZALVSKIO in Epiſtol. Tom. II. Ep. 91. fol. 499. Supremus Regni Mareſchalcus Theſaurario M. D. Lith. hæc nova nomine Reginæ requirenti reſpon-

ſponderat: *Miratus ſum vehementer, dum ex Tuis intellexi, transmiſſasq́ à Principibus porrectas, an à Sereniſſima Regina, legi propoſitiones. Similes mihi videntur petitioni illius matris filiorum Zebedæi; quandoq́ pugnant directè contra prærogativas & auctoritatem Regiæ Majeſtatis. Inprimis ceſſavit jam omnis prætenſio Majeſtaticæ conditionis per mortem Regnantis, & talis circumſcriptio, quam Regina proponit & habere vellet, non ad nos paucos Senatores, ſed ad deciſionem totius Reipublicæ omninò pertinere videtur. Quæ auctoritas Regis eſſet, ſi Con-Reges, ſocios Regni, ſine ſcitu Reipublicæ à nobis deſtinatos videret, quod quamvis ſim certus, Regiam Majeſtatem pro ſumma prudentia & æquanimitate in Rempublicam nunquam permiſſuram, ſed & Ego pro munere meo, ſi quid nocivum ſcivero, avertam, & ne illud fiat, me opponam. Non contraeo, ut Principes Regii quam maximos honores & affectus demonſtrationes à Rege habeant; ſed id fieri debet privatim: ut verò ad functiones publicas, ubi ſplendor Majeſtatis corruſcat, pertinere debeant, hoc nullatenus ſentire & permittere pro officio meo poſſum. Tres tantum apud nos numerantur Ordines; quartus autem Principum Ordo, locum in Republica habere non poteſt, & tantò minus ad Majeſtatem Regnantis pertinere queunt. Cur ergo prætenditur, ut Majeſtatem ſuam ratificare debeant per ſeſſionem in Throno penes Regem ſub baldachino in Eccleſiæ functionibus? Nonne per hoc paritas conditionis prætenditur, quæ in Rege diſtincta eſt & ſola, non cum ſociis. Dedimus Regi per libera ſuffragia uſum Majeſtatis, ſed communicationem cæteris. Vivente Rege, ſanctæ memoriæ, aſſidebant Principes Regi in Eccleſia, tanquam filii cum Rege patre, nunc ſederent tanquam Reges cum Rege, quia nec cum patre, nec cum fratre, nec cum aliquo prætextu ad Principes Regios pertinente; per quod evidenter oſtenderetur propioritas ad ſucceſſionem. Filii Sigismundi Regis nunquam in eccleſia Regi aſſidebant. Ergo hæc petitio ſolvenda ſilentio. Sed proponat id petatq́ Regina in Comitiolis, quia nos eum locum, quem habet Rex, nullo modo alii præterquam illum permittere poſſumus. Altera propoſitio, ut ſcilicet Scipio, qui Regum ſceptra præire ſolet, Mareſchalcis, Principes Regi pro tunc aſſiſtentes, immediatè præcedat, nonnè per id monſtraretur, quod Scipio ante Principes Regios eat, Rex inferior Principibus, cum eos ſequeretur. Scipio eſt Index immediatus Majeſtatis ſuccedentis, ac proinde*

*inde præcederent Principes Regem, ſi Scipio ante illos portaretur, & tunc demum Rex ſubſequeretur. Piaſecius in Hiſtoria ſua hæc formalia ſcribit: Princeps autem Vladislaus ſubſequebatur Regem patrem ſuum. Ergo non præcedebat patrem, nec ante eum portabatur Scipio Ac proinde nec id unquam permittere poſſum, ut quempiam alium demonſtrem Regem, niſi ſolum Regem noſtrum. Malus eſſet in horologio index, qui Solis curſum non ſequeretur. Tertia pariter propoſitio nullatenus eſt conceſſibilis, ut currus Principum immediatè præcedat currum Regis; quia hæc propoſitio ſimilis omninò eſt propoſitioni de portando Scipione. Currus Mareſchalci Regni denotat, quod in eo curru ſedeat Rex, qui immediatè poſt eum ſuccedit. Et eo modo primum locum currus Principum regiorum haberet, quam currus regius. Accedit, quod Legati magni Monarcharum ſedere ſoleant in curru mareſchalcali; quomodo illi id concedere poſſent, ut præcederent currum Principum, tanquam ad eos, non ad Regem miſſi fuiſſent. Quantumvis hæ nos deficerent rationes, hæc ſola reſolvit, Quod delicata pupilla Majeſtatis non patitur lumen ſtellarum in meridie. Nec credo auſuros Senatores noſtros, ſine tota Republica, hanc quæſtionem reſolvere, & Ego videns, quod eſſet læſivum Majeſtatis Regiæ, & præcipuè illius, in cujus Domo non tantum Regia, ſed & Imperatoria Majeſtas fulſit, & qui avita decora augere magis volet, quam uſurpare, non poſſum permittere pro munere meo, ut in patria hac, ſtante miniſterio meo, vel in minimo prærogativæ regiæ diminutionem patiantur, me conſentiente.* Cum igitur Mareſchalci cuſtodire & præmunire debeant Majeſtatem Regiam, ne quid diminutionis patiatur, hinc pertinet huc, quod Piaſecius in Chronic. fol. 75. ſcripſit: *Et in brevi profectus Rex Sigismundus Varſaviâ, Maximilianum, Craſnoſtaviæ ſub cuſtodiis hærentem inviſit, quo offenſam omnem familiari cum ipſo conſvetudine aboleret. Nec ibi tamen defuit, quo offenderet Maximilianus Polonos. Volebat enim eam, quam parem Regibus Archiduces gravitatem præ ſe ferunt, retinere, nec deſcendebat ad infimos gradus obviam Regi: Sed Archi-Mareſchallus Andreas Opalinski non permiſit progredi Regem, niſi Maximilianus proceſſiſſet obviam ulterius. De cætero humaniſſimè à Rege ſalutatus, celerioris liberationis obtinuit promiſſum.* Addendum eſſe præterea exiſtimo, quod omnes præſentes Mareſchalci & Regni & Lithuaniæ,

cum

cum Scipionibus præeant Regem; abſentibus quibusdam, Cancellarii eo fungantur munere; ea ex re anno 1736. abſentibus duobus Mareſchalcis M. D. Lithv. Supremus Cancellarius M. D. Lithv. id præſtitit. Nec non examine candido digna eſſe HARTKNOCHII verba l. c. pag. 464. judico hæc: *Quin Mareſchalcus Archiepiſcopi tanta pollet auctoritate, ut abſentibus aliis Mareſchalcis fas ſit ei levato baculo, regiminis inſigni, regem in comitiis prodeuntem anteire, ut Bielſcius Lib. VI. refert, apud quem Vchanski ſua ætate hanc prærogativam in uſu fuiſſe graviter aſſeverat.* Cæterum uſu receptum, ut abſentibus Mareſchalcis ex arbitrio Regis primus Senator Officialis & Secularis id præſtet officium.

2. Ex his cognoſcitur evidenter, quod Mareſchalci ſint moderatores, directores & cuſtodes ceremoniarum, pomparum & ſolennitatum Aulicarum & publicarum circa Regem, Aulam, Legatos, Comitia, Feſtivitates, Electionem, Coronationem & alia uſu recepta. Unde ne ullibi deſint, eædemque exactè & circumſpectè obſerventur, monet Zalaſzowſki loc. cit. *Iſtud annotandum eſt quoq;, quod ſi Sereniſſimus Rex reſidentiam elegerit, vel Comitia abſolverit in Lithuania, tunc Mareſchalcus Supremus Lithuaniæ fungitur muniis cum conſilio Mareſchalci Curiæ M. D. Lithv. (adeoq; hi præferunt Scipiones). Similiter ſi Rex Sereniſſimus reſideret in Livonia, & non eſſet ad latus illius, niſi Mareſchalcus M. D. Lith. tunc officium ſuum obiret; ſi autem præſentes eſſent Mareſchalcus Regni & Mareſchalcus M. D. Lithv. tunc inſimul reſpectu adminiſtrationis ſecum conferre debent. Ita in Conſtitutione An. 1589. fol. 510: In abſentia Supremi Mareſchalci Regni & Mareſchalci Curiæ Regni, etiam in Regno Mareſchalcus M. D. Lithv. munus Mareſchalci Regni obit; vel in abſentia hujus Mareſchalcus Curiæ M. D. Lith. Omnibus Mareſchalcis abſentibus munus Mareſchalcorum Cancellarii vel Theſaurarii obeunt.* Conf. CHWALKOWSKI loc. cit.

*Pompas & ceremonias ſolennes moderantur*

3. Bono ordini in Curia Regia providere, Aulicos in album inſcribere, negligentes & refractarios monere, monitos ſi non reſipiſcant amovere, omniaque conſtituere, diſponere & dirigere debent, tam in Aula, Curiis, domibus, cameris & menſis Regis, quam aliis

*Bono ordini proſpiciunt.*

officiis & officialibus ad Equeſtrem Ordinem Majeſtatis Regiæ pertinentibus. Ita Alexander Rex, ut refert Herburtus loco cit. voluit. Præfectus quoque Guardiæ Regiæ, jurisdictioni & poteſtati Mareſchalcorum utriusque gentis ſubeſt. Vid. Conſtitut. an. 1646. & ZALASZOWSKI l. c.

*Annonam curant.* 4. Annonæ agunt curam, rebus venalibus in ſede Regia imponunt pretia, & tributum forale à venditoribus & emptoribus accipiunt. Si verò Mareſchalcus in pretio rerum, & exactione foralis tributi modum excedit, competit Conſiliariis ad latus Regis reſidentibus poteſtas moderandi hæc, iisque, ſi Mareſchalcus contrariatur, tanquam inobediens in proximis Comitiis Generalibus coram Ordinibus Reipublicæ accuſatur ex Conſtitut. Alexandri. Quodſi verò Rex in caſtris verſetur, pretia rerum venalium conſtituit Supremus Dux Exercituum, idq; Jus exercet, communicato tamen conſilio cum Mareſchalco, & forale tributum lucratur. Zalaſzowſki & Chwalkowſki loc. cit.

*Judicium Mareſchalcale.* 5. Admirabile prorſus eſt eorum Judicium, quo ſecuritati Regis, Aulæ & Communi proſpiciunt, uti Cancellarii Juſtitiæ univerſali. Quamobrem facinoroſos & turbatores tranquillitatis publicæ, & in ſede regia & extra illam, ad aliquot milliaria circum circa eandem, puniendi, & vel ultimo ſupplicio afficiendi habent poteſtatem: ſic, ut ab illorum ſententia provocare vel appellare ad Regem non liceat; in cauſa tamen majoris momenti non per vim Appellationis, ſed Informationis, ſententia Regis expoſcitur. Conſtit. 1676. CHWALKOWSKI loc. cit. additque ZALASZOWSKI hæc: *Et licet omnia Judicia ſub tempus Interregni à die publicationis mortis regiæ ſileant, tamen propter majorem ordinem & ſecuritatem circa corpus Regis mortui, Dominis Mareſchalcis ſolitam jurisdictionem reaſſumere usq; ad Electionem & exequi committitur, Decretaq; ab illis ante Convocationem Generalem Varſavienſem lata, in eadem Convocatione Generali adprobantur. Confœd. General. Varſ. An. 1674. fol. 21.* Optimè omnium hæc hactenus dicta explanavit & dilucidavit Hartknochius de Jure Publ. Polon. pag. 787. ubi: *Judicia*, inquit, *Mareſchalcalia exercet Supremus Mareſchalcus, & in ejus*

ab-

*abſentia Mareſchalcus Curiæ. Pertinent ad hæc Judicia primum Aulici regii: deindè omnium Senatorum in Aula regia degentium miniſtri, & quidem in cauſis tam civilibus, quam criminalibus. Tertiò omnes alvenæ, qui in loco, ubi eſt Aula regia, commorantur. Item illi, qui in urbibus ſub præſentia Regis contra Statuta Mareſchalci de pretiis rerum delinqvunt, ut ſunt piſtores, braxatores, œnopolæ, zythopolæ, piſcatores aliiq; opifices. Præterea omnes cauſæ criminales, etiam civium in urbibus, in præſentia Regis quidquam delinquentium, verbi gratia: Si quis quempiam verberaverit, vulneraverit, occiderit, domum ejus effregerit, imo etiam verbo eum læſerit, ſive civis ille, ſive peregrinus fuerit, in hoc Judicio Marſchalcali conveni-tur. Similiter ſi quis civium aut peregrinorum viſus fuerit, cum armis ſeditionem præ ſe ferentibus, ut cum bombarda &c. ſive in urbe, ſive in ſuburbio ejus loci, ubi Rex commoratur, oberrans, ad hoc marſchalcale Judicium trahitur. Ex dictis autem jam ferè elucet, Judicium hoc exerceri non tantum Varſaviæ tempore Comitiorum, ſed etiam omnibus in locis, ubicunq; Rex cum Aula ſua hæret; ita tamen, ut in regno Mareſchalcis regni, in Lithuania autem Mareſchalcis Lithuaniæ hoc Jus competat.* Habet porro in hoc Judicio Mareſchalcus ſingularem Judicem, qui Judex Mareſchalcalis (Sędzia Marſzałkowſki) vocatur, & Notarium, per quos Judicia illa, præſertim in cauſis levioris momenti exercet. *Judex & Notarius Mareſchalcalis.* Jusjurandum, quo Judex mareſchalcalis ſe obſtringere tenetur, reperitur in Conſtitut. an. 1678. inter Lithuanicas Conſtitutiones fol. 23. & hujus eſt tenoris: *Jusjurandum Iudicis.* Ego N. juro, quia juſtè ſecundum Deum, Jus ſcriptum, Articulos Illuſtriſſimi Domini Supremi Mareſchalci Regni vel M.D. Lithuaniæ, æquitatemque, partium controverſias judicabo, recognitionesque ſuſpiciam, divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato, & neque favorem neque odium, neque præmium neque pœnas mihi propoſitas curabo, ſed in judicando ſolum Deum & Jus ſcriptum, æquitatem, partium controverſias recognitionesque, & in his omnibus judicium conſcientiæ meæ ſequar & audiam. Foralia non, niſi quæ ab Illuſtriſſimo Supremo Mareſchalco Regni ordinata fuerint, ratione officii mei percipiam. Pretia rebus ad neceſſitatem Curiæ Sereniſſimi Regis importandis, ex æquo &

& juſto, juxta præſcriptum Illuſtriſſimi Mareſchalci imponam, nec quenquam gravari eo patiar: Salaria Judicii mei juxta moderationem Illuſtriſſimi Mareſchalci percipiam: Securitati providebo, cauſasque violatæ ſecuritatis, ſine ſcitu Illuſtriſſimi Mareſchalci ſopiri & componi non patiar. Scandala & exceſſus per conniventiam non ſubticebo, ſed mihi delata, juxta meritum & demeritum puniam. Vagos & è contuberniis civitatum proſcriptos, prætextu Servitiorum Curiæ non fovebo. Publicis defraudatoribus ſeu aleatoribus non patrocinabor; aliaque omnia ad Curiæ ordinationem & dignitatem S. R. Majeſtatis, Domini mei Clementiſſimi, mihi à Supremo Illuſtriſſimo Mareſchalco Regni commiſſa & tradita, fideliter & pro poſſe meo faciam & exſequar. Sic me Deus adjuvet & Sancta Crux Chriſti!

*Juramentum Notarii.* Juramentum autem Notarii mareſchalcalis eſt hoc: Ego N. juro, quia juſte ſecundum Deum, Jus ſcriptum, æquitatem & partium controverſias judicabo, conſulam Judicem, fideliterque partium recognitiones, affectationes ſeu poſtulationes juridicas, vel Judicis Decreta in Librum Actorum marſchalcalium inſcribam, & inſcribi curabo: ſed in judicando, conſulendo & ſcribendo, ſolum Deum & Juſtitiam Sanctam & æquitatem, partium recognitiones, controverſias ac Judicis ſententias, in hisque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia fideliter & pro poſſe meo peragam. Sic me Deus adjuvet & Sancta Crux Chriſti!

Articulos Officii mareſchalcalis tempore Vladislai IV. Regis conſtitutos, præfixit Petrus Eleſius, typographus Varſavienſis, Juri Magdeburgico & Culmenſi Polonicè ann. 1646 edito; nec non continet eosdem Conſtitutio Regni in Lithuania an. 1678. fol. 22. In Generalibus verò approbati ſunt per Conſtitutionem Regni, ann. 1699. fol. 49. Tu verò L. B. eosdem legere potes infra inter Documenta Lit. A. Cæterum abſit, ut de Judicio mareſchalcali nihil porro narrare velim & referre, ut potius continuandi ſit mihi animus & publicandi, quæ hinc inde legi & collegi. Quamobrem neminem Rerum Polonicarum gnarum latere poteſt, in Comitiis, quamdiu

Con-

Conclavia non ſunt conjuncta, exerceri quovis die Judicia in Conclavi Senatorum, præſertim Criminalia, & abſente Rege dici ſententias. Poſtquam verò ex pluralitate votorum, abſente Rege, Decretum ſtetit, tunc præſente Rege publicatur ſcriptum per Mareſchalcum Supremum, qui etiam Jure victos præſentes vinculis mancipare, & capitis damnatos extremo Judicio affici jubet, per Conſtitution. a. 1588. Repetenda eſt hac occaſione Hiſtoria, quam PIASECIVS in Chron. fol. 404. retulit his verbis: *Cum Anno 1620 quidam nomine Michael Piekarski, de villa Biencowiec Palatinatus Sendomirienſis, ex illa Equeſtri Familia, quæ Inſignia Tepororum in ſcuto flavo defert, Regem Sigismundum III. (propterea quod ipſi, uti furioſo, curatores aſſignaverat) in Templum S. Johannis Baptiſtæ euntem, clava mucrone eminente munita, (Czekan Poloni vocant) percuſſiſſet, & aliquot vulnera in capite dextraq́; faciei parte inflixiſſet, Senatus, qui tunc Varſaviæ præſens erat, adſcitis ex Conſtitutione Anni 1588. octo Nuntiis Terreſtribus, iisq́; jurejurando adſtrictis, primo per miniſterialem generalem publicari juſſit infamem: mox bona ipſius fiſco addixit: tum liberos & ſucceſſores dicti ſicarii ex lumbis ipſius in linea recta deſcendentes, omnium dignitatum incapaces declaravit: prædium inſuper ſicarii, Biencowiec dictum, in Palatinatu & Diſtrictu Sendomirienſe ſitum, ſolo æquandum ibidemq́; in perpetuam rei memoriam columnam erigendam cenſuit; cavit tamen ſimul, ne hæc ignominia aliis Piekarſciis Nobilibus, ex diverſis familiis oriundis, in regno & M. D. Lith. fraudi eſſet. Negotium de pœna in corpore luenda Senatus cum Nuntiorum Delegatis ad Mareſchalcum regni Supremum remiſit, cui recentium criminum in Comitiis perpetratorum cognitio & animadverſio in delinquentes competit.* Ex Mareſchalci ergo ſententia, Michael Piekarſki ignitis forficibus laniatus, poſtea manu dextra & digitis articulatim præciſis, equis in diverſum incitatis, pedibus diſtractum carnifex flammis conſumſit, ejusque cineres in profluentem Viſtulæ abjecit. Meretur etiam LVBIENSKI in Opp. fol. 35. de motu Civili in Polonia, qui audiatur, verba argumento noſtro convenientia faciens hæc: *Paullò ante venerat Cracoviam, privati negotii causâ Joannes Dux Radvilus, M. D. Lithv. Regi à poculis: hic antea quoq́; Mareſchalco regni, quod is Præfecturam*

ram

*ram Solecenſem, quam pater ipſius, Palatinus Vilnenſis Regum beneficio tenebat, eo mortuo á Rege (Sigismundo III.) obtinuiſſet, infenſus, alia quoq́ꝫ ex cauſa acrioribus in eum ſtimulis incitatus eſt. Juvenis is, & ſplendore natalium & amplis dotibus, tum & rerum bello Livonico geſtarum gloria, pridem jam altiores ſpiritus, quam qui privatum decerent, induerat, præcipuè verò in tuenda & propugnanda Calviniana Secta, cui à puero innutritus erat, inter alios tam privatim, quam publice eminere volebat. Accidit eo præſente Cracoviæ, ut Sacerdos Sacroſanctam Evchariſtiam ad ægrotum deferens, contumelioſius ex ædibus cujusdam hæretici interpellaretur; id proximè adſtantes Catholici iniquè ferentes, in ædes hæretici impetum faciunt, ei verò in ſubſidium famuli Radivili (incertum ſpontè, an juſſu Domini) accurrunt: mox creſcente tumultu ii, quibus à Mareſchalco tuendæ pacis & prohibendorum tumultuum officium demandatum erat, armati ſuperveniunt, ſeditionis autores comprehenſos, ac inter eos nonnullos ex comitatu Radivilii in carcerem abducunt. Ille contumelioſum id ſibi exiſtimans, & à Mareſchalco velut conſultò ſe ea injuria affectum, graviter ferens, (quanquam interventu communium amicorum, famuli in eo tumultu prehenſi, continuò dimiſſi fuerint,) indignabundus, & ex occaſione ſe eam injuriam vindicaturum minitans, Cracovia diſceſſit.* Lubienſki loc. cit. fol. 62. pergit exitum hujus tragœdiæ commemorare ſequentibus: *Ac ne quid deeſſet, quod ad perturbandam pacem publicam mutuoq́ꝫ irritandos animos pertineret, accidit in Comitiis, ut cum Nuntii in Senatum vocarentur, quo cunctis, qui vel Senatores non eſſent, vel publico munere non fungerentur, excluſis, ſoli cum Senatoribus, Rege præſente, de iis rebus, de quibus nondum convenerat, agerent, ac Sigismundus Myſzkowski, Supremus regni Mareſchalcus, qui ad fores, ne quis non Nuntius eò ingrederetur, attendebat quendam Zienievicium, temerè ſe ingerentem, aditu prohibuiſſet, & magis nitentem ſeque Radivilii eſſe familiarem jactantem, verbis & verberibus rejeciſſet, & ille furore percitus manum capulo, tanquam arma ſtricturus admoviſſet, publici apparitores eum prehenderint. Quo Radiviliani, qui ſuis diſcreti agminibus aream palatii occupaverant, cognito, tumultum ingentem excitant, aditusq́ꝫ palatii, qui à regiis ſatellitibus ſervabantur, irrumpere conantur, & niſi Radivilus ipſe è feneſtra ſuos, ne quid attentarent,*

*rent, inhibuiſſet, jam tum ſeditionis & cædis initium factum eſſet. Sedato utcunq; eo tumultu, Radivilus in medium progreſſus forum frendens fremensq; Mareſchalcum incuſat, quod hominem Nobilem, nullius criminis reum, non aliam ob cauſam, niſi quod ſuus eſſet familiaris, verbis contumelioſis affectum ac pulſatum præhendi juſſiſſet, ſe nomine Equeſtris Ordinis Legatione fungi, nullam Mareſchalci jurisdictionem agnoſcere, ac proinde non paſſurum quicquam gravius in familiarem ſuum ſtatui, atq; invocato etiam cæterorum Nuntiorum auxilio, ejus eliberandi omnes rationes initurum. Adſtrepebant cæteri Nuntii, ſuam in eo dignitatem violari aſſerentes; nonnulli verò dignum facinus hominis inſolentis acriori pœnâ cenſebant; verùm Mareſchalci, qui more majorum jure in ſontem animadvertere potuiſſet, facilitas, cæteris, quis acrioris ſententiæ autor eſſe vellet, circumſpectantibus, præbuit cauſam, ut non judicio, ſed amicorum interventu id negotium transigeretur, ac prehenſus, deprecatus temeritatis culpam, dimitteretur.* Idem Lubienſki loc. cit. fol. 236. de hac poteſtate Mareſchalci quædam adnotavit, hic non tacenda: *Acciderat*, inquit, *etiam, ut Mareſchallo Muſzowski, ex officio ſuo in Comitiis turbas à Senatus conſeſſu ſubmoventi, famulus ejusdem Radzivilli educta framea ſe oppoſuerit, quem à ſtipatoribus armatis Archimareſchalci comprehenſum, & ad pœnam capitis damnatum, ut liberaret, tota Comitia commovit, usq; dum veniam illi obtinuit, intercedente Senatu.* Non omittere quoque poſſum, quæ fecit verba Lubienſki loc. cit. fol. 250. repetere hæc: *Interim Felix Herburt cum Procopio Pekoslavio captivus Cracoviam ductus ad pœnam Criminis læſæ majeſtatis vocabatur; jamq; Rex Sigismundus III. eum capite mulctari juſſerat, ſed poſtea illi pepercit: Sigismundo Marchione Muſzkowski, Archimareſchallo regni, penes quem eſt in Aula regia Jus gladii, ſtudio exequi talem ſententiam, quousq; Rex placaretur differente, ne ſibi imputaretur hujusmodi ſeveritas, eoq; in ſe odia popularia cumularet, quæ eum maximè uti Regi proximum, ſeu magis ipſum Regem per ejus latus petebant.* Quomodo ira Regis fuerit placata, & Archimareſchalci prudentia adprobata atque cunctatio, docuit Lubienſki l. c. fol. 252. narrare continuans: *Felix Herburt & Pekoslawski fuerunt quoq; dimiſſi ex custodiis (Anno 1608) data ſponſione, quod à Conventibus publicis abſtinere, & intra domeſticos ſuos*

*parietes ſe continere deberent.* Poſtulat inſtitutum meum auctoritatem Mareſchalcorum in Comitiis & extra Comitia, venerandi ſubmiſſe, ut præter hæc recenſita, ex HARTKNOCHIO loc. cit. pag. 777. denique ſpicilegii inſtar mutua accipiam ſequentia: *Judicia hæc Criminalia, præſertim læſæ Majeſtatis & Perduellionis ſæpe magno tumultu agitantur, ſi reus eſt potens. Quando enim ejusmodi cauſa agitanda eſt, citatur reus per Inſtigatorem cum ſcitu Mareſchalci Supremi, ſex hebdomadis ante Comitia: citatio valvis affigitur: reus, de more, ter quaterve accerſitur: dicto Judicii die ſæpè locus Comitiorum, quando reus eſt potens, armatis completur, ut factum eſt in Zboroviorum Judiciis, apud Solikovium in Comment. rer. Polon. pag. 150. Inſtigator, (cui delator adſiſtit, vel ſi certa & evidentia ſunt contra eum documenta, etiam ſine delatore) cauſam proponit; reus, qui non niſi viginti ad ſummum viris, (in quibus & conſangvinei & miniſtri cenſentur,) comitatus urbem ipſumq́ locum Judicii intrare poteſt, aut ipſe per ſe cauſam agit, aut patronum cauſæ ſibi dari poſtulat, aut eum conſangvinei defendunt.* (Reliqua Proceſſus ſupra ſunt enumerata.) Tandem non eſt tacendum, quod Mareſchalcis jurisdictio vivo Rege, certisque in caſibus etiam in Aulicos Primatis ſe extendat; id quod memorabilis Hiſtoria probat, quæ in ZALVSKII Epiſtol. Hiſtorico-Familiar. Tom. I. Part. I. fol. 1515. legitur. Non involvenda eſt ſilentio egregia nota LENGNICHII, quam ad §. 9. Pactorum Conventorum Auguſti III. Commentario perpetuo illuſtratorum fol. 22. adpoſuit, ubi: *Hæc pactorum conventorum* pro articulorum Mareſchalcalium *lectione obtinet. Intelligitur vero* per articulos Mareſchalcales, *edictum judiciorum Mareſchalcalium pro tranquillitate, mercandi libertate, & ſervandis rerum venalium pretiis, comitiorum inprimis tempore: quale edictum perpetuum Conſt. a. 1678. inter ſcita Lit. pag. 22. ſ. inſertum legitur. Antequam in Comitiis an. 1690. pacta Conv. legerentur, præfatus quaſi Mareſchalcus regni, dicendo:* fuiſſe olim moris, ut articuli Mareſchalcales legerentur, qui cum in volumen legum jam relati eſſent, ſe Ordines lectione eorundem morari nolle, ſed quemque ad Conſtitutiones remittere. Epiſtol. Zaluſk. Tom. I. pag. 1162.

6. Hoc

6. Hoc tremendum Judicium, & vivo & mortuo Rege, competit ſolis Mareſchalcis, usque ad Comitia Electionis, quibus novum ex parte conſtituitur Judicium hodie, ſecuritatis cauſa, & Kapturale Generale appellatur, cujus originem PIASECIVS in Chronic. fol. 446. circa Electionem Vladislai IV. Sigismundi III. filii anno 1632. his deſcripſit verbis: *Nec minor fuit contentio de poteſtate Mariſchallatus ſub futura Electione Regis: ut enim Officium illud judicare ſolet crimina omnia, quæ in Aula Regis ac in Conventibus Generalibus, tum & ſub tempus Electionis Regis patrarentur, Equeſtris Ordo urgebat, ut non niſi adjunctis ex Senatorio & Equeſtri Ordine, ac jurejurando, ſuper rectè judicando, de novo præſtito, Mareſchalli Judicia hujusmodi, durante Electionis Conventu, exercerent. Sed iniquum videbatur, tanti Magiſtratus Jura eousq; inviolata labefactare, & multò durius, vocare in dubium ejus fidem, quam ineundo Officio ſuo quilibet Mariſchallus jurare conſvevit. Vicit tamen ea ſententia, ut Mariſchallus Judicia ſub Electione futura proxima tractaturus iterum juraret, ac initio Electionis ad exercenda ſimul cum Mariſchallis eadem Judicia, certo numero Senatores & Equeſtres delegarentur.* ZALASZOWSKI loc. cit. fol. 186. planius explicavit hoc, quaſi novum & temporarium Judicium Kapturale tempore Electionis, ſic fluentibus verbis: *Vocatur Judicium Compoſitum, quia tres deputantur & eliguntur prima die Electionis Regis ex Senatu, quatuor ex Majori Polonia, quatuor ex Minori Polonia, & totidem ex M. D. Lith. qui juramento præſtito in facie totius Reipublicæ, ſuper juſtè judicando, juxta Rotam Tribunalitiam, cum Dominis Mareſchalcis utriusq; Gentis, ad reſidentiam Domini Mareſchalci regni conveniendo, omnes civiles & criminales cauſas, quæ ſub actu Electionis in illo Generali omnium Ordinum Regni & M. D. Lith. Conſeſſu, & alias cauſas accidentes judicant, ea poteſtate & ſecuritate, qua Judicia Tribunalis regni gaudent, pluralitate ſuffragiorum vincente. Qui Deputati in facie totius Reipublicæ juramentum tale præſtant:* Ego N. juro Deo Omnipotenti, quod juſte juxta Deum, Jus ſcriptum, æquitatem, controverſias partium judicabo, & recognitionem recipiam, non habendo reſpectu divitis & pauperis, amici vel inimici, incolæ vel advenæ, munera, minas non curabo; ſed in judicando ſolum Deum, Jus ſcriptum,

*Judicium Kapturale tempore Electionis.*

 ptum,

ptum, æquitatem, controverſias partium, recognitiones & judicium conſcientiæ meæ imitabor & audiam, & alias cauſas ad me pertinentes, fideliter & juxta poſſibilitatem meam faciam; non practicabo cauſas cum aliquo; adhæc non curavi Electionem mei ad hoc Judicium, nec Secreta Judicii alienis revelabo. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Crux Chriſti Domini! *Domini autem Mareſchalci in hanc formam jurant:* Ego N. juro Deo Omnipotenti, quod juſtè, ſine ullo reſpectu perſonarum, juxta juramentum circa Officium meum Mareſchalcale Regi Regnoque præſtitum, judicabo; nec cauſas ad hoc Judicium venientes practicabo, nec conſilium in illis dabo, nec præcautiones aliquas faciam; Secreta quoque Judicii præſentis non revelabo. Sic me Deus adjuvet & Sancta Crux Chriſti! *Conf. Conſtitut. An. 1632. fol. 7. Decreta autem hujus Iudicii connotat Notarius Terreſtris Varſavienſis, præſtito prius juramento de non revelandis Secretis Iudicii, & eadem Decreta terminare, & cum Actis Comitialibus habere & conſervare debet; Extracta cum ſubſcriptione ſua partibus requirentibus extradere poteſt, ſententiam tamen ferre prohibetur. Inſuper Decreta iſtius Iudicii à tribus Deputatis, uno ex Minori Polonia, ſecundo ex Majori Polonia, & tertio ex Ducatu Lithuaniæ, ſunt ſubſcribenda. Conſtitut. An. 1632. fol. 5. Cautum tamen eſt, ut hoc Iudicium tanquam extraordinarium, ſolum ad Inaugurationem novi Regis duret, & poſtea ſtatim deſinat, nec antiquis Iuribus Dominorum Mareſchalcorum inpoſterum noceat.* Articulos hujus Judicii Kapturalis ſeu Compoſita, infra publicabo inter Documenta, *Lit. B.*

*Admonere poſſunt Regem.*

7. Gaudet Mareſchalcus Regni poteſtate Regem, juvenem præſertim, admonendi, & quæ in eo Ordines Regni taxent, eidem proponendi, ad quasvis ſua Perſona dignas excitandi reverenter Virtutes, nec non Pactorum Conventorum obſervationem commendandi. Sic de Nicolao Zebrzydowſki tradidit poſteritati PIASECIVS loc. cit. fol. 145. qui: *Erat tunc,* inquit, *Nicolaus Zebrzydowski Archimareſchallus Regni, Vir fortis & gravitate morum ſeveritate temperata, inſignis. Is itaq; pro Officio ſuo, quod in Aula Regia ſummam rerum gerendarum auctoritatem obtinet, Regem (Sigismundum III.) ſecreto (teſtatus obſequii*

quii

*quii & ſui fidelioris in eum affectus debitum) admonuit, perſvadereq; ipſi conabatur, ut tantiſper ad confinia Regni concederet, militias, quæ ibi perpetuò contra Turcas & Tartaros excubant, agnoſceret & ab ipſis noſceretur, tum & occaſionem aliquam comparandæ ſibi gloriæ captaret; arces in confiniis, ut ex Pactis Juratis tenebatur, conſtrueret, & popularium animos bellicis ſtudiis ſibi devinciret. Sed nihil effecit: imò licet tunc Rex cohortationem illam conſveto ſilentio ſolum exceperit, paullo poſt tamen eam ingratam ipſi fuiſſe, non obſcurè apparuit, cum exindè alienatiori a Zebrzydovio animo fuerit.*

8. Solent quoque Mareſchalci providi & circumſpecti eſſe, ſicut circa actiones Regis & conſilia, ita circa ſermones privatos, & quaſi clandeſtinos cum familiariſſimis; quo omnia ſciant, quæ Rex meditetur, agat & loquatur; atque hunc ad finem obtinendum, quibusvis eos uti mediis politicis, conjicere quivis poteſt. Eam ob rem LVBIENSKI in Operib. fol. 24. ſcripſit: *Et Nicolaus Zebrzydowski, Supremus eo tempore Mareſchalcus, pro munere Officii ſui, quid Rex cum Archiduciſſa, ſocru ſua, privatis ſermonibus tractaret, ex ipſiſmet Germanis cognoverat.*

*Providi ſunt circa actiones et conſilia Regum arcana*

9. Exterorum Principum Legatis hoſpitia aſſignant, ad audientiam ſolennem introducunt, & ut iisdem debitus exhibeatur honor, omnisque ſecuritas ipſis, eorumque comitibus & miniſtris præſtetur, ſeveriſſimè curant. Prius quoque quam Cancellarii à Legatis inviſuntur honorificè. Iidem Mareſchalci aliis illuſtrioribus hoſpitibus, ut & Senatoribus Officialibusque Regni, quin imo Nuntiis Terreſtribus ad Comitia confluentibus, proſpiciunt de diverſoriis commodis eorumque conditionibus dignis. ZALASZOWSKI loc. cit. quæ fecit verba, hac occaſione ſunt repetenda: „Mareſchalcis utriusque Gentis conceſſum eſt (de conſenſu Palatinatus Maſoviæ) in Comitiis Generalibus Varſaviæ, Palatinatibus, Terris, Diſtrictibus Regni & M. D. Lith. & Terris ad Regnum & M. D. Lith. pertinentibus, præſertim ſub tempus Electionis, hoſpitia diſtribuere & aſſignate, exceptis Curiis & domibus Nobilium. Ita in Confœderatione Generali Varſavienſi an. 1632. fol. 7. Sed hoc in ſeqvelam proceſſit, ut, licet

*Legatos excipiunt, etc.*

in dicta Confœderatione id fuerit conceſſum pro una vice, tamen nunc abſque dicto conſenſu Palatinatus Maſovienſis, citra reſpectum Servioratus & Liberationum domorum & lapidearum Varſaviæ, quas ad hunc Actum Electionis relaxant & ſuſpendunt; horum tamen, qui in Officiis ſunt publicis privilegiati, in toto Liberatio reſervatur, prout videre eſt in Confœderat. Generali Varſ. an. 1668. & an. 1674.

*Reges proficiſcentes comitantur.*

10. Reges, ſive contra hoſtes in caſtris verſentur, ſive alia ob negotia extra regnum proficiſcantur, ſive in regno ipſo, M. D. Lith. cæterisque Provinciis ſedem ſuam regiam figant, vel uterque vel alteruter comitari ſolent. Juris tamen & obligationis num ſit, ut in Cancellariis, non diſputabo. PIASECIVS l. c. fol. 77. jam olim id adnotavit, referens: „Aderant autem cum Rege Sigismundo (patrem Johannem, Regem Sveciæ, Revaliæ in Livonia viſitante) anno 1589. Albertus Baranowſki, Epiſcopus Przemislienſis, Minor Cancellarius; Stanislaus Przyemſki, Minor Mareſchalcus &c.

*Abſentibus Cancellariis reſpondent nomine Regis.*

11. Memoratu dignum eſt, quod LVBIENSKI de motu civili in Polonia, Opp. fol. 91. retulit & narravit, Mareſchalcum Regni, abſente Cancellario, nomine Regis feciſſe verba, & Cancellarii expleviſſe vices. *Aberat tunc Cancellarius; nam cum acie inſtructa, inermi inter armatos locus non eſſet, in proximum Palatium Janovecenſe, juſſu regio ſeceſſerat; igitur ejus loco Mareſchalcus Regni nomine Regis reſpondit.* Ubi generatim notandum eſt, quod abſentibus Cancellariis, nomine Regis reſpondeant alii Officialium majorum vel minorum, prout Rex juſſerit & voluerit.

*Vices explent Supr. Duc. Exerc.*

12. Neque minorem attentionem animi merentur PIASECII in Chronic. fol. 384. verba: *Signo pugnæ dato, cum Poloni tota acie, præſertim equitatus haſtatorum, majore hoſtilium agminum parte inter querceta conſiſtente, confligere non poſſent, peditatu tantum, & turmis equitum tribus emiſſis, lævam Svecorum (apud Mevam) alam in aperto ſtantem, magna ſtrage edita, ultra aggerem repulerunt, & in fugam jam converſos facilè diſſipaſſent: ſed repentè Mariſchallus Regni (cujus muneris eſt, ſi non adſit Præfectus militum Generalis, ejus functiones obire) ignarus, quid in conflictu ageretur, receptui canere juſſit.*

13. In Comitiis Generalibus Regni nullus ſententiam ſuam proloquitur, niſi petita prius à Supremo Regni Mareſchalco (in regno ſi celebrantur Comitia) dicendi facultate, idque uſitata formula: Proſzę o głos! Mareſchalci Nuntiorum Terreſtrium munus hoc in caſu jam ceſſat, cum omnia Mareſchalcus Supremus, aut ipſo abſente alius Officialium Senatorii Ordinis, Scipione ſumto, moderetur. Cum cuidam dicendi poteſtatem facit, hoc utitur diſcrimine, ut ſoli Archiepiſcopo Gneſnenſi Titulum Honoris apponat, hoc ferè modo: Jego Mość Xiądz Arcybiſkup ma głos! aliis Senatoribus & Nuntiis dicendi facultatem tribuens, omittit Titulum: Jego Mość! Imò tanta Mareſchalcus Supremus pollet auctoritate, ut habeat Jus admonendi non tantum Nuntium, ſed etiam Senatorem (ſuo tamen modo) quando limites modeſtiæ transgreditur, ut dicit Illuſtriſſimus Dominus Chriſtoph. Grzymultowſki Palatinus Poſnanienſis, in Orat. 4. quam in Comitiis an. 1685. habuit, Lit. D. 2. Alias autem, contentionibus aut aliis clamoribus ortis, baculo terram ferit, eoque ſigno ſilentium imponit. Hactenus HARTKNOCH l. c. pag. 687.

*In Comitiis loquendi facultatem rogati concedunt & temperant.*

14. Si in Comitiis omnium conſenſu Conſtitutiones ſunt ratihabitæ & Sigillo Regni corroboratæ, ſoluta Seſſione Mareſchalcus Regni curat, ut Archivo inferantur, & Cancellarius Secretarium quendam Regium providere jubet, ut typis accuratè mandentur. Impreſſis ſubſcribit Cancellarius nomen ſuum, & Sigillo Regni ſignat, ad Comitiola Relationum ut & Officia Caſtrenſia Palatinatuum & Terrarum mittit; per Conſtitut. an. 1661. fol. 15. an. 1678. fol. 12. an. 1623. fol. 7. an. 1588. fol. 457. Has verò Conſtitutiones ex parte mutatas eſſe, adnotavit ZALASZOWSKI l. cit. fol. 27. monuitque, quod ex Conſtitutione recentiori an. 1690. ſoli Mareſchalci manu ſua ſubſcriptas ad prelum dent.

*Munia circa Conſtitutiones.*

15. Rex Poloniæ, ſi ab exteris Regibus in Equeſtrem Ordinem cooptatur, ut olim Michael in Ordinem Aurei Velleris, & Johannes III. in Ordinem Spiritus Sancti; quæ hoc in ſolenni Actu præſtent officia Mareſchalci, ex CHWALKOWSKI loc. cit. narravi in Commentario de Cancellariis §. 17.

*Si creantur Reges Polon. Equites Ordinis alicujus Equeſtris*

*Circa Inveſtituras.* 16. In eodem Commentario §. 17. quid agant Mareſchalci in Actu Homagiali & Inveſtituræ Ducis Curlandiæ, expoſitum legi poteſt.

*In Abdicatione Regia.* 17. In Abdicatione ſpontanea Joannis Caſimiri Regis, quid obſervaverint Mareſchalci, eodem loco adnotatum eſt.

*Legatorum munere funguntur.* 18. Ad Legatorum munia ſubeunda, Mareſchalcos fuiſſe adhibitos pro arbitratu Regis, quamplurima conteſtantur exempla, quæ recenſere ſupervacaneum eſſe videtur. Conf. inter alios PIASECIVM loc. cit. fol. 226. 227. & LVBIENSKI l. c. fol. 52.

*Invigilant, ut Pacta Conventa obſerventur.* 19. Quod Mareſchalci ad Pacta Conventa à Regibus obſervanda, una cum Cancellariis debeant eſſe præ cæteris omnibus attenti, cognoſcitur ex Pactis Conventis Regis Auguſti II. n. 12. ubi inter alia: Super quo invigilare Domini Cancellarii, Mareſchalci utriusque Gentis, & deferre Reipublicæ tenebuntur. Conf. Commentar. de Cancellar. §. 17.

*Renuntiant Cancellarios Supremos.* 20. Mareſchalci quod renuntient ſolenniter Cancellarios, præcipuè in Comitiis, expoſui pluribus loc. cit. Conf. HARTKNOCH pag. 680.

*Extra Regn. vacat eor. Jurisdictio conſveta.* 21. Si Regem extra regnum comitantur, idem exercent munus, excepta Jurisdictione in Polonia conſveta.

*In Comitiis conſultant.* 22. In Comitiis Regni Generalibus, ſuo ordine poſt Senatores ſuffragia dant; quandoque ad hæc vota certus præfigitur dies.

*Subſcribunt Nom. Dipl. Electionis.* 23. Subſcribunt Nomina ſua Diplomati Electionis. Conf. quæ diximus in Comment. allegato.

24. In Judicio mareſchalcali, ſi quid obſignandum, non Regio, ſed ſuo utuntur Signo natalitio vel Sigillo.

25. Ad palatium tendenti Arciepiſopo Gneſnenſi Rex ſalutandus obviam mittit Succamerarium regni, vel aliquem ex præcipuis aulæ magiſtratibus usque ad inferiora graduum, Mareſchalcus autem Curiæ ad caput graduum ipſum præſtolatur. HARTKNOCH ex Fredro, Damalewicz & aliis, pag. 465.

§. XV.

§. XV.

Et hæc quidem præcipua, minimè tamen omnia (quæ privato enumerare non licet) ſunt, vivo Rege, obſervanda munia, prout à Doctoribus Juris Publici Polonici traduntur in Libris editis. Nunc ad Interregnum progredior, communicaturus methodo recepta, quidquid hinc inde & ſparſim legi atque connotavi. Quamobrem *In Interregno.*

1. Defuncti Regis corpus ut magnificentiſſimè honoretur, & conſpectui publico exponatur, omniaque ſigna luctus, & Majeſtate Regia digna, & Dignitati Reipublicæ Sereniſſimæ convenientia edantur, cura eſt Mareſchalcorum: cum iidem moderatores & directores, ut omnis Aulicæ pompæ, ita etiam Exequialis & Sepulchralis, ſumptibus publicis. Exiſtimo meritum eſſe ann. 1733. ad Immortalitatem evocatum Regem Auguſtum II. ut legantur & relegantur ſolennitates, quæ poſt obitum Ejus fuerint reverentiſſimè obſervatæ, & in Fama Europæa ſive Europäiſche Fama Part. 344. pag. 681. & Part. 351. pag. 206. deſcriptæ. *Cura circa Regis defuncti corpus.*

2. Cum poſt obitum Regis prima ſit cura Primatis, ut omnes de triſti hoc caſu fiant certiores, & Comitia Convocationis indicantur, officium eſt Mareſchalci Regni, ut omnia præparet, comparetq́;, quæ ad Comitia celebranda ſunt neceſſaria, ſic tamen, ut non ſolus, ſed unà cum Mareſchalco Supremo M. D. Lithuan. ſtativa adſignet. Interea, etiam durantibus Comitiis usque ad Electionis ſolennia durat permanetque invariata ejusdem Jurisdictio. *Exercens conſvetam Jurisdictionem.*

3. In his Comitiis Convocationis dies Electionis, & plerumque ſex præcedentes hebdomades conſtituuntur, quandoque verò tempus præſcinditur ex conſenſu Reipublicæ. Ad has ergo ritè peragendas ſolennitates, quid conferri debuerit olim, & hodie Mareſchalcus Regni ex officio conferat, ex PIASECIO fol. 447. repetam, ſcribente: *Dato negotio Præfectis ærarii Publici ac Præfecto Regio Varſavienſi, ut propè Varſaviam in campo patenti circa villas Wola & Powaski, locum congregandis ad eum Actum Electionis Ordinibus deligerent, munirentq́;. Tempore Electionis adveniente, concurrerant frequentes Nobiles Varſaviam, & ipſo exordii ejus die, audito ſolenni Miſſæ Sacrificio, ab Archi-* *Præparant omnia ad Electionem.*

*chiepiſcopo Gneſnenſi, pro impetrando auxilio S. Spiritus, in Templo majori Varſavienſi celebrato, proceſſerunt omnes ad locum in campo proximo circa villam Wola & Powaski, vallo & foſſa, caſtrorum more circumductum, ubi una tantum porticus (Szopa vocatur) excelſa exſtabat, ſolo tabulato columnis ligneis ſubnixo conſtans, à lateribus pro repellendis ventorum injuriis cortinis lineis circumplicata, & pauca militaria tabernacula carbaſeis, operis Perſici, velis intenta.* Hodie Mareſchalco Regni hoc negotium exſtruendi Szopam competere ſumptibus ærarii publici, & quæ reliqua ſint conſvetudinis, docuit & emendavit ZALASZOWSKI loc. cit. fol. 192. ſequentibus: *Adveniente die Comitiorum Electionis in Conventu Generali Ordinum præfixo, confluunt omnes ad Eccleſiam Collegiatam Varſavienſem S. Iohannis, ibiq; invocant Spiritum S. ut bono tantæ molis negotium aggrediantur & finiant. Peractis Solenniis ad locum à DD. Mareſchalcis aſſignatum, vallo & foſſa caſtrorum more circumductum, (propè Varſaviam circa villas Wola & Powaski) tres portas in ſe continentem, una Orientali, pro Majori Polonia; Meridionali, pro Minori Polonia; Occidentali, pro Lithuania; in campo patenti pervium, congregantur. Et quidem Senatus cum Interrege (hoc eſt Archiepiſcopo Gneſnenſi) ſub tentorio ex lignis intra hoc vallum conſtructo & tegulis ligneis cooperto, è tabulato columnis ligneis ſubnixo, Polonicè Szopa dicto, reſidet; Equeſter autem Ordo per Palatinatus diviſus, tentoria & papiliones ſuos occupat, & ad Electionem Mareſchalci ſui, deſcendit ad locum ſolitum intra vallum & foſſam.*

*Legatos ad audientiam introducunt*

4. Si exterorum Principum Legati, vel Principes filii Regis defuncti, vel eorum, qui commendant quendam, ut Reges eligantur, ſunt introducendi intra vallum, quæ conſvetæ ſint ceremoniæ, omnium optimè dilucidavit HARTKNOCHIVS l. c. pag. 280. ſeq. *Quando Legati audiendi ſunt, tunc ipſis hoc ſignificatur, tempusq; certum denominatur. Hora adveniente, Archiepiſcopus Interrex rhedam ſuam Legato mittit, quam aliæ quoq; Magnatum Poloniæ rhedæ comitantur: adhæc ab Interrege quidam ex Senatu, ut & à Mareſchalco Nuntiorum ex Nobilitate trium Gentium, qui cum Mareſchalco Regni & Mareſchalco Nuntiorum, Legatum introducunt in Rotam Equeſtrem, quo etiam Senatus pro more ſeſe confert, quando Legati audiendi ſunt. Vid. Illuſtr. Caſim. Zawadzki l. cit.*

Ha-

*Habetur autem in audiendis Legatis ratio Principum, quorum ſunt Legati, ita ut uni plus, alteri minus honoris exhibeatur, tum in numero ipſum comitantium & in Rotam Equeſtrem introducentium; tum in ordine admittendi, tum etiam in loco Legatis adſignari ſolito. Quando Legatus Pontificis Romani in Conſeſſum Ordinum Poloniæ admittendus eſt, eliguntur ab Interrege ex Senatu aliquot Epiſcopi, ut & alii ex Senatoribus Secularibus; à Mareſchalco verò Nuntiorum quidam ex Nuntiis Terreſtribus, habita ſemper trium Gentium ratione, qui ſimul cum Mareſchalco Regni Supremo & Mareſchalco Nuntiorum Legatum Pontificium accerſant, & in Rotam Equeſtrem introducant. Introeunti Legato Interrex, è Curuli ſuo ſurgens, ad duos paſſus obviam progreditur, locumq́ꝫ inter ſe & alium proximum ſibi Epiſcopum concedit. Vid. Zawadzki loc. cit. Diarium Electionis An. 1674. Deinde ſequenti, vel alio etiam die, prout commodum eſt, eadem ratione ab Interrege quidam ex Senatoribus, ſed tantum Secularibus, & à Mareſchalco Nuntiorum, ex Nobilitate aliquot nominantur, ad introducendum cum Mareſchalcis Legatum Germanici Imperatoris. Locus verò ei non inter Epiſcopos, ut Pontificio Legato, ſed in ipſo Rotæ Equeſtris aditu inter Mareſchalcum Regni & Mareſchalcum Ordinis Equeſtris aſſignatur. Poſt hos admittuntur aliorum Regum & Principum Legati, ſi fieri poteſt, vel uno die. Regum Legati, licet & ipſi ſint Epiſcopi, non tamen inter Epiſcopos, ut Pontificis Legatus, locum obtinent, ſed inter Mareſchalcos, qui ipſos in Rotam Equeſtrem deduxerunt. Principum fiduciariorum Oratores, aut ultimo ferè loco, aut ut domeſtici primo audiuntur. Legato Ducis Curlandiæ an. 1669. locus non eſt conceſſus inter Mareſchalcos, ſed à dextro latere, qui erat locus Palatinatuum Pruſſiæ: Item Legatus Curlandicus non per Mareſchalcum Regni Supremum, ſed tantum per Mareſchalcum Ordinis Equeſtris introductus fuit. Vid. Zawadzki l. cit. Chwalkowski c. 3. n. 19. Legatus à Mareſchalco Regni & Mareſchalco Nuntiorum aliisq́ꝫ comitibus in Rotam introductus, poſtquam Rempublicam debito modo ſalutavit, conſidet in loco ſibi aſſignato. Poſt hæc Credentiales, ut vocant, Literas per Referendarium Regni tradit Reipublicæ legendas. Plerumq́ꝫ Legati præter Literas ad Senatum, peculiares etiam habent Literas ad Ordinem Equeſtrem. Illas legit Referendarius Regni, vel etiam Secretarius Major; has autem Mareſchal-*

*cus Equeſtris Ordinis. Perlectis itaq; publicè Literis Credentialibus, Orationem ſuam habet Legatus ad Ordines, commendatq; ipſis Candidatorum aliquem; ad quam Orationem ipſi primo Senatus nomine ab Interrege, deinde nomine Nobilitatis à Mareſchalco Equeſtris Ordinis reſpondetur. His peractis Legatos ſingulos ſalutat, ſicq; eodem comitatu eademq; cum pompa dimittitur & reducitur.* Reliqua in ejusdem Hartknochii libro legi poſſunt. Singulares planè ſolennitates in favorem ſtirpis Regiæ, cum Vladiſlaus IV. ambiret coronam, adnotavit PIASECIVS in Chronic. fol. 450. his: *Dum autem in illis Seſſionibus hæc agerentur, univerſalis Ordinum Conſeſſus audiendis Principum diverſorum Legationibus vacavit, Senatoribus Equeſtriq; Ordine (ducto vaſtiori circulo ſub dio, ubi Equeſtres ſoli eousq; ſubſtiterant,) inſimul congregatis. Ac cum prima à Principe Vladislao venerant Principes Caſimirus, Joannes Albertus, Carolus, Alexander, unaq; Legati Henricus Firley Epiſcopus Præmislienſis, Georgius Oſſolinski Præfectus Ærarii Minor, Sigismundus Kazanowski; quos Epiſcopus Vladislavienſis Lubienski, nomine Senatus & omnium Procerum turmæ militares honoris cauſa ac officii ab arce ad Comitia deduxerunt. Appropinquantibus aſſurrexit Archiepiſcopus Gneſnenſis cum Senatu univerſo, & ad calcem coronæ (ubi Mareſchalci præſident, ac ingreſſus intrò patet) exceptos conduxit ad ſellas in capite ſellarum Senatoriarum, (retro iſtas aſſiſtebant Equeſtres, alii pedes, àlii humilioribus ſcabellis ſubnixi,) præparatas, pone lævam Sellæ Archiepiſcopalis; Legati verò conſederant inter ſedes Mareſchallorum in conſveto Legatorum quorumcunq; loco. Hinc ſilentio facto, Princeps Caſimirus &c.*

*Poſt Electionem.* 5. Poſtquam eſt electus Rex, quæ munia Mareſchalcorum ſint, HARTKNOCHIVS ex optimis Scriptoribus Polonicis, neceſſaria ſcitu & lectu jucunda collegit in compendio, l. cit. p. 300. narrans: *Concordantibus tandem omnium ſententiis, renuntiatio Regis aut fit ſtatim & è veſtigio, aut etiam in ſequentem aliumve diem differtur. Tum ſimulac iterum Electores ſtato tempore convenerunt, Interrex, pro more, ter adſtantes interrogat: Num velint jubeantq; N. N. Regem renunciari? acclamantibus cunctis: Placet! Vivat! Primas Regni Electum gravi Oratione renunciat Regem Polonorum. Videlicet præfatur primum quædam aut de gravi-*

tate

*tate negotii ſuaq; tenuitate, aut etiam de alia aliqua materia, tandem Regem renunciat tali ferè formula: In Nomine Domini nomino Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ N. N. præcorq; Cœleſtem Regem, ut hunc, quem à ſeculis Regem Genti iſti prævidit, Gratia ſua in tanto munere ſuſtinendo adjuvet, hancq; Electionem iſti Reipublicæ fauſtam fortunatamq; & cumprimis Religioni Catholicæ ſalutarem eſſe velit! Ad ultimum converſus ad Mareſchalcos, hortatur eosdem, ut nominationem eſſe factam ex officio publicent. Mareſchalci confeſtim aſſurgentes in loco ſeſſionis ſuæ, Regem electum proclamant, cujus proclamationis talis ferè eſt formula: Rex N. N. electus concordibus ſententiis, & ab Interrege renuntiatus eſt. Hunc igitur pro Rege vero legitimoq; electo ac nominato habeatis omnes! Publicata per Mareſchalcos nominatione Regis electi, totus populus iterum in genua procumbens in patenti campo, præcinente rurſus Interrege, decantat hymnum: Te Deum laudamus. Deinde clangor tubarum per campos reſonat, machinæ bellicæ ſeu tormenta diſploduntur, & omnia per campos Gratulationis & lætitiæ publicæ ſigna eduntur. Si Rex Electus præſens eſt, ut fieri ſolet, quando Piaſtus eligitur, tunc in Templum S. Joannis Varſavienſe, ad laudes DEO decantandas, ab Interrege ſtatim deducitur. Si Rex abſens Electus eſt, accerſuntur ejus Legati, ut Conditiones Electo Regi propoſitas jurejurando confirment, decretumq; Electionis recipiant. Quo facto, Mareſchalci iterum Regem proclamant dicentes: Polonos jam juſtum habere Regem!* Hucusque Hartknochius. Addimus, quodſi contingat, ut à diſcordibus Polonis & Lithuanis, duo eligantur Reges in eodem campo Electionis & die, alterumque nominet Regem Archiepiſcopus Gneſnenſis, alterum alius Epiſcopus, tunc Mareſchalcos, licet ab utroque nominante Regem excitentur ad proclamationem, neutri parti adhærentes, hoc conſvetum officium ſuſpendere & intermittere. Audiendus eſt præterea PIASECIVS loc. cit. fol. 455. circumſtantias Electi Regis Vladislai IV. Sigismundi III. filii referens ſequentibus: *Archiepiſcopus poſtquam nominarat Regem Pol. & M D. Lithv. Vladislaum, ad ultimum Mareſchallos compellans monuit, ut Nominationem hanc ex Officio ſuo publicarent, qui confeſtim aſſurrexerunt ſimul omnes in loco Seſſionis ſuæ, & Mareſchallus Regni Major omnium nomine, altiori voce promulgavit:*

*Regem Vladislaum electum concordibus ſententiis, & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Regni Primate nominatum eſſe, ipſumq; pro Rege vero legitimeq; electo ac nominato ab omnibus recognoſci debere. Hocq; dicto Archiepiſcopus Hymnum Gratiarum recitavit, toto illo cœtu hilari cantu proſequente, tormentorumq; ac bombardarum tonitruis undiquaq; reſonantibus. In ſequenti die, qui fuit Dominicus, 14. Nov. electus Rex ad Templum primarium S. Joannis Baptiſtæ Varſaviæ, cum frequenti Senatorum Nobiliumq; comitatu deſcendit, peractoq; ab Archiepiſcopo ſolenni Sacrificio, acceſſit ad Altare majus. Et cum iterum Rex (Vladislaus ante Altare) aſſurrexiſſet, eum affatus admonuit, quod eam ob cauſam Ei ad Altare DEI ſtanti Regnum traderetur, ut ſciat Regnum Catholicum à Religione Catholica ſibi deferri, hocq; ipſo ad ejus defenſionem ſe obligari: ſimulq; ttadidit Ipſi Decretum Electionis in charta pergamena conſcriptum omnium Procerum Nobiliumq;, qui Electioni aderant, præcipuorum ſubſcriptionibus & ſigillis munitum; Mariſchalli autem obverſi à ſummis gradibus adyti Templi, ad populum indicto ſilentio renuntiarunt: Decretum Electionis, Regi legitimè electo nominatoq; fuiſſe traditum; & Archiepiſcopo præcinente Hymnum: Te Deum laudamus; univerſi adſtantes ſono confuſo cantarunt, fruſtra arte meliori cantare contendente Choro Regio muſicorum. Redeuntem è Templo Regem, proximè antecedentes de more Mareſchalli ſceptra officii ſui demiſſa tenebant, non ſublevabant, eo quod priusquam Rex coronaretur, Steptriq; inſigne ſolenniter acceperit, ipſis à Mariſchallis Steptra præferri mos antiquus vetaret.* Hæc Piaſecius.

*Circa Coronationem novi, & Sepulturam defunctor. Regum.*

6. Progredior, brevitatis memor, ad Actum Coronationis, in quo varia ſunt Mareſchalcorum officia & munia; quippe quibus cum competebat cura circa pompas & ſolennitates omnes; præcedens autem Sepultura Regis defuncti quamplurimarum ſit ceremoniarum, quas hic recenſere nolo, ſufficiat monuiſſe, quod Mareſchalci baculos ſuos in Templo frangant, & in ſepulcrum Regis defuncti, vel Caſtrum Doloris, ut anno 1734. projiciant, à Rege novo accipiant novos poſt Coronationem, neque Regi funus comitanti præferant erectos, ſed demiſſos: Deinde lites in funere ducendo ortas, quod Mareſchalci ſopiant decidantque, legitur in ZALVSKII Epiſtolis

Hiſto-

Hiſtorico-Familiaribus, Tom. I. Part. I. fol. 5. qui hæc: „Ubi verò immenſa illa, velut apum examina, vel procedendo morabuntur, vel recedendo feſtinabant, enata ſubito de ordine pompæ controverſia nonnihil diſtinuit altercantes. Primum ſibi locum Magiſtratus urbis ante Profeſſores Vniverſitatis Cracovienſis vendicabant, ex eo, quod illi idem juris & primatus ſit in civitate ſua, quod in domo propria patriſamilias, cui, cujuscunque Status & Dignitatis ſint inquilini, nequaquam anteponi debeant: Creditam civibus murorum & civitatis cuſtodiam, hinc potiores ovibus paſtores cenſeri, imo Senatum urbis de jure & uſu Tutorem Vniverſitatis agere, ubi ſub peſtilentiæ aut hoſtilitatis caſu dilapſis Profeſſoribus Academia, quæ & quanta eſt, in Tutelam Magiſtratui reſignatur. Opponebant ad hæc Academici jam Privilegia Poloniæ Regum, jam receptum morem & uſum de primo loco Vniverſitati tribuendo: quomodo enim bonarum artium matrem, eamque Regum alumnam, publicanorum & mechanicorum principes præcedere audeant, ſibi ipſis notam & ruborem inuſturi, ubi ſub conſpectum Majeſtatis Sceptris Academiæ, quod eſt Inſigne Regum, plebejos faſces anteferri contendunt. Solvit controverſiam Curiæ Mareſchalcus, pro muneris ſui ratione decernens, quominus Vniverſitati primo loco Magiſtratus Civitatenſis decederet, ob morem ex antiquo uſurpatum, & conſvetudines, quæ hic vim Legis de jure obtinent. “

Coronationis Actum integrum hic repetere, ab inſtituto noſtro eſt alienum; quamobrem ex ZALASZOWSKI & HARTKNOCH. p. 322. pauciſſima tantum, huc pertinentia, adnotabimus hæc: In Sacellum Rex deductus per Mareſchalcos Regni & M. D. Lithuaniæ Scandaliis, Tunica, Chirotecis, alba, Dalmatica & pallio, auro, argento, gemmisque magni pretii fulgentibus induitur. Item: omnibus his ceremoniis ad finem deductis, Archiepiſcopus omnibus præſentibus benedicit; quam benedictionem excipit Mareſchalcus Curiæ Regni læta voce: Vivat Rex N. N. & redeunti ad arcem ex templo, primum præferuntur baculi ſeu Scipiones erecti.

§. XVI.

§. XVI.

*Singularia Mareſchalcorum.* Ut verò munia Cancellariorum omnia & ſingula enarrare, in viribus privati non eſt poſitum; ita idem de Mareſchalcis profiteri, minimè erubeſco. Quamobrem ad Singularia Eorundem & Libros editos ex Hiſtoria Civili & Litteraria quædam adjicere Conlectanea laborabo; reliqua dicenda reſervaturus ad aliud tempus & occaſionem. De Mareſchalco igitur SIGISMVNDO MYSZKOWSKI, conf. Piaſecius l. c. fol. 236. 250. 252.

De GEORGII LVBOMIRSKII fatis nihil refero, ſed L. B. ad Libros à *Braunio* in Bibliotheca, pag. 93. citatos ablego.

Sequatur STANISLAVS LVBOMIERSCIVS, itidem Supremus Mareſchalcus Regni, de cujus editis Libris idem *Braunius* l. cit. pag. 224. liberè, pro more ſuo judicavit. Scripſit verò de Vanitate Conſiliorum, Varſ. 1700. De remediis animi ſeu regulis mentis, ib. 1701. nec non edidit Dialogum Artaxerxis cum Evandro, ſeu Rozmowa Artakſeſa y Ewandra, ibid. 1694. 8^vo^

Porro KOENIGIVS in Bibliotheca Veteri & Nova fol. 589. annotavit hæc: *Lucas Opalenius tractavit de Officiis. Erat Mareſchalcus Curiæ Regni Poloniæ; per Anagramma, Paulus Neocœlus vocari ſolet.* conf. Gelehrten-Lexicon.

De RAPHAELIS GRANOVII conſpiratione contra Regem Ludovicum, quod omnia ſint ficta, demonſtravit Illuſtriſſ. JOS. ANDREAS ZALVSKI in Specimine Hiſtoriæ Polono-Criticæ, & ſpeciatim diſputat pag. 98. & 100. utrum fuerit Mareſchallus Regni? poſtquam negaverat eum munus Supremi Ducis Exercituum adminiſtraſſe. Conf. Załuſkii Epiſtol. T. II. fol. 370.

Idem Illuſtris Auctor l. cit. pag. 91. Hunc Bozydar Dlugoſſus, *X. 102. p. 256. 269.* cum quo conferatur Bielſki, diverſo nomine vocat Demetrium Goray, unde crediderim fuiſſe binominem Demetrium-Theodorum, (quod ultimum ex Græca ethymo Donum Dei ſonat, & ita Polonico nomini Bozydar reſpondet,) tum familiæ Gorayorum protoplaſtam, Demetrii quoque Supremi Regni Mareſchalli, tum & Ivoniæ patrem, (ut habet Pabrocki, Herb. 535) hocque modo ejus nomen apud R.

P.

P. Nieſiecki (Kor. 266) reſtitui debere. Porro digna ſunt Illuſtris Viri verba facta pag. 101. quæ repetantur & legantur, hæc: Antiquiores Caſimiri M. temporibus Poloniæ Mareſchallos nunquam mihi in noſtris Scriptoribus vetuſtisque monumentis ac Diplomatibus reperire contigit, unde in eam R. P. Nieſiecki (Kor. 250) facile pertrahor opinionem, Caſimirum ann. circiter 1366. primum, diverſis Provinciis à Regno avulſis, in unum demum Reipublicæ corpus coalitis, dignitatem Mateſchalli Regni conſtituiſſe. Primum itaque hoc magiſtratu condecoratum crediderim Dobieslaum Mierżb, Illuſtriſſimæ Familiæ Fredrorum Anteſignanum. Pollebat is (ut teſtatur ex Pabrocio & Okolſcio, Franciſcus Glinka in Præf. Opuſculi Zwierzyniec Jednorożcow) gratia Regis Caſimiri M. Mareſchallus Aulæ per munia belli clarus, tanta verò petebatur invidia, (uti ea Principum accubat gratiæ,) viri cujusdam Germani, ut nullâ reverentia palatii Principis, verbali primum contracto litigio, arma in Dobieslaum ſtringeret Germanus, ſed Dobieslaus valentior, arte declinato adverſarii gladio & ſui juris facto, afflixit incruento verbere Germani caput, ut Germanicè exclamaret repetens: Fried Herr! Fried Herr! Pacem (te poſco) Domine! unde ab eo vocabulo Dobieslaus pro venuſtate jocantis Aulæ ac Regis, appellatus Frieder, indè ſerio ab omnibus Fredro, & ab eo Fredrovii. Item pag. 102. Quod attinet Raphaelem Granovium, eum Okolſki (II, 72) vocat quidem Ducem Exercituum & Mareſchallum Regni; (id quod ex eo & R. P. Naramowſki in Auroris Solis Sarmatici hauſiſſe videtur) ſed nullum auctorem citat, niſi Genealogiam Sienavianam. Credibile eſt igitur, hujus Genealogiæ compilatorem, ex hoc limoſo Glinianenſis relationis fonte rivulum hunc derivaſſe. Occaſionem verò in adſciſcendo pro Mareſchallatu Regni fictitio nomine Raphaelis Granowſki Capitanei Sendomirienſis, præbuiſſe videtur Commentatori, Raphael Tarnowſki, qui de facto an. 1391. à morte Ludovici nono, fuit Supremus Regni Mareſchallus & Capitaneus ac Caſtellanus Sendomirienſis, prout id teſtatur Erectio Collegiatæ Eccleſiæ Cracovienſis

Omnium Sanctorum, apud Pabroccium & Okolſcium; unde ſervato nomine Raphaelis, ſervatoque ſimiliter Capitaneatus Sendomirienſis titulo, immutatâ verô in cognomine ſyllabâ Tar in Gra, facilè ex Raphaele Tarnowſki effictum fuiſſe Raphaelem Granowſcium, dici poterit. Nec non pag. ead. 102. R. P. Nieſiecki (Kor. 205) in uno loco Tarnovium, in altero verò Jaroslawſcium vocat; cum tamen idem ſit: utroque enim hoc vocabulo Comites Tarnovii tum utebantur. Conf. Pabrocki Herb. ſeu de Arm. 377. Denique ex pag. 187. accipio mutua hæc verba Auctoris Illuſtris: Anno 1606. in Comitiis Varſavienſibus ductore Nicolao Zebrzydowſcio Palatino Cracovienſi, (qui antea Mareſchallatus Regni magiſtratum geſſit, tum & Ducis Exercituum Campeſtris, uti apparet ex ejus Epitaphio apud Starovolſcium Monum. Sarm. p. 654. & Okolſcium II, 567. obvio, hinc in eorum ſeriem in Corona p. 276. R. P. Nieſiecki, ubi prætermiſſus eſt, poſt Nicolaum Sieniawſki referendus) ſeceſſu Ordinis Equeſtris facto propter unam vocem Cos vulgo quidam, quod de ſuſpectis Conciliis Regiis ſuo tempore ut vulgo jactaturus erat, (Piaſecius fol. 239) Motus Civilis vulgo Rokoſz, pro Libertate contra Regem Stęzyciæ cœpit, qui acceſſione Lithuanorum auctus, Comitiis ruptis Lublinum translatus, ubi ex univerſis Provinciis Nobilitate ad vexillum Libertatis accurrente, in apertum Civile Bellum erupit, donec tandem in Comitiis itidem Varſavienſibus an. 1609. (poſtquam anno præterito Rokoſſiani ad Guzowc cum Regiis ambiguo Marte pugnaſſent, & inde pars maxima auctoribus cladis maledicens, domum dilapſa eſſet,) amneſtia & compoſitio Statuum à moroſo Rege perfecta fuerit. Vid. Piaſec. Lubienſc. & Braunius. Credibile eſt igitur, hujus motus civilis tempore Zebrzydovii contrariam illis verbis Moyſis: Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Exod. 32, 26. vocem uſurpantis, ac tale claſſicum: Si qui eſt non Domini, jungatur mihi; perſonantis à ſe clarum quempiam (ne dicam ipſummet) hanc Hiſtoriolam de induſtria conſcripſiſſe, eamque in vulgus ſparſiſſe, &c.

Con-

Converto me jam ad ea Singularia, quæ ſtylo Laconico argutiſque pleno, hinc indè adnotavit de Mareſchallis R. P. NARAMOWSKI de Auroris Solis Sarmatici. Sic pag. 13. ſcripſit: DEMETRIVS de BOZYDAR GORAYSKI, liberalem in ſe expertus Regem Ludovicum, & ab eodem Dominium Szczebrzeſinenſe dono æviternè accepit, ut tam alto honori ditior Fortuna ancillaretur. Okolſki T. I. f. 436.

Pag. 15. NICOLAVS de BRZEZIE LANCKORONSKI, vix natus, jam ad bella datus, dum indolem excoluit Marti, mortem non exhorruit, quam tum maximè oppetiit, cum pro Patria & Gloria dimicaret: ſed antequam ipſe morte occubuit, mille mortes hoſtibus inflixit. Pabrocki in Nido Virt. p. 1001. ſ.

Pag. 19. JOANNES (vel Derslaus. Pabrocki p. 47.) OLESNICKI, Gente DEMBNIVS, communi vocabulo intitulabatur Głowacz Oleſniccius, quaſi ubique triumpharet ingenio Ingeniorum Caput, dum pro Regni Capite Vladislao ſudavit & alſit. Bielſki p. 336 & 350.

Pag. 20. JOHANNES RYTWIANSKI, de Domo Acciptrinorum, Orator Regis in Valachiam miſſus, egit pro Gloria; dum Dux Belli creatus, egit pariter pro Victoria. Legatus Bohemiam inviſit, nec fruſtra rediit, animadverſus tamen plus faviſſe Matthiæ Regi Hungariæ, quam Bohemiæ, fratri Regis Poloniæ. Anno 1469. publicus Orator Italiam inviſit. Bielſki p. 451.

Pag. 22. RAPHAEL à TARNOW JAROSLAWSKI, ut patriæ prodeſſet, extra patriam Legatus ad Regem Hungariæ proceſſit, fœdus iniit, quod patria optavit. Bielſki p. 471.

Pag. 24. STANISLAVS de CHODECZ ſeu CHODESKI, Adſtes uti laboris ſic & gloriæ, in illo cum Tartaris ad Wiſnioveciam, temporibus Sigismundi I. clariſſimo per Orbem certamine prodidit Orbi, quantum pro Patria & Gloria dum potuit, voluit, dum voluit,

 fecit.

fecit. Tartaros ipſe multos demeſſuit, prædamque igne dignam, ad Tartara miſit. Bielſki p. 289. Vapowſki p. 549.

Pag. 26. STANISLAVS HALICKI, celeberrimo illi, Maximiliani Cæſaris, Sigismundi I. Poloniæ, Ludovici Bohemiæ, Vladislai Hungariæ Regum, Conventui Poſonienſi, demum Viennenſi anno 1515. glorioſe adfuit. Miechovit. p. 102. Vapov. p. 602. 615.

Pag. 30. JOANNES MIELECKI, è Gente Gryphonum, ad bellum Livonicum ſummo cum imperio expeditus, bellum finiit, vix dum cœpit. Pabrocki in Nid. Virt. pag. 28. Okolſki Tom. I. pag. 242.

Pag. 31. JOHANNES de Dąbrowica Firley, major fuiſſet, ſi virtuti fides orthodoxa correſpondiſſet: (juxta Bielſcium p. 654) Auguſtanæ Fidei ut promotor, ſic ſectator fuit.

Pag. 35. STANISLAVS PRZYJEMSKI, de Domo RAWICZ, nec ſolo fultus ſcipione, quem portavit, etiam ferrum ſtrinxit, quod in hoſtes vibravit. Lubienſki f. 2. Piaſec. f. 90.

Pag. 41. NICOLAVS in PODHAYCE WOLSKI, quotannis ferè vel Germaniam inviſit, vel Italiam. Piaſec. p. 501.

Pag. 43. LVCAS de BNIN OPALINSKI, biennale plusquam diſſidium cum Stanislao de Zmigrod Stadnicki, eò partes impulit, ut integris penè exercitibus civile gliſceret Bellum. Nece æmuli victor Opalinius, ſed nondum quietus: jure victus, extrema opulentis patrimonii profudiſſet, niſi Sigismundi III. & Vladislai profuſis in optimum gratiis ſublevatus fuiſſet. Fractus honore, non honor illo, antequam vitam, honorem ſpontè depoſuit an. 1650. Okolſki T. II. p. 166. Kochov. Clim. I. p. 174.

Pag. 50. STANISLAVS LVBOMIRSKI S. R. I. Princeps; privatus nunquam receſſus otioſum vidit, totus impalluit libris, qui tot & ſacros & prophano-politicos Libros edidit. Nec defuit pietati, dum Czerniacovienſe delicium Divo erectum Bonifacio dicavit.

Pag. 64. RAPHAEL de GOLVCHOW, Comes in LESZNO LESZCZYNSKI, ætatem, quam domi fovit, extra patriam excoluit, ſed non aliter, niſi vel Dux, vel miles, Cæſareæ Majeſtati charus, quia bello felix, manu victor: ſub ejus auſpicio dum militavit, triumphavit. Sic dum charus Cæſari, charior exſtitit, dum ejus nomine ad Regem Poloniæ Caſimirum, ad Regem Hungariæ Oratorem egit, & dum omnia ex voto expleviſſet, Comes in Leſzno an. 1470 creatus, ad Biſontis Inſigne, Vellum aureum & Leonem cum ſtricto gladio adjectum, pro merito accepit. Cromer. L. 27. Okolſki T. 3. p. 296.

Pag. 69. JOHANNES TĘCZLNSKI, ad Solimannum Turcarum Imperatorem, ad Ferdinandum Cæſarem, Ungariæ & Bohemiæ Regem, quot illuſtres obiit Legationes, tot æviternas patriæ & ſibi cumulavit laudationes. Okolſki T. 3. p. 21.

Pag. 71. STANISLAVS MACIEJOWSKI, dum tempus pariendi, ante tempus naſcendo præcurrit, quatuor ſeptimanis in adipe apri conſervari debuit, ut præſervaretur.

Pag. 77. ANDREAS ZBOROWSKI, dum maximæ ſubjectus fuit Fortunæ, maximo ſubjectus cecidit infortunio, publico Regni Edicto abjudicatus Mareſchalcatu, an. 1589. Piaſec. f. 87. Pabrocki pag. 38.

Pag. 80. ADAMVS KAZANOWSKI, ſic nondum Principem, Vladislaum dilexit, ut in rem ejus divenditum decoqueret patrimonium. Unde ſtupenti & dicenti Vladislao: Itane verò Kozanovius cauſa ſui patrimonium decoxiſſet? repoſuit: Sic Fortunam meam Tecum, Princeps, conjunctam velim, ut Te favente indigens eſſe non poſſim, abſque Te dives fieri nolim. Unde amans Principem, ſic amatus à Principe, ut adhuc adoleſcenti Vladislao, Sigismundus Rex & pater, prodigalitatem exprobraret, quod nec annulum à matre datum retineret, quin ſuo illum conſignaret Kazanovio. Kochowſki Climact. 1. p. 174. Okolſk. T. 1. p. 271.

Matthæus Siebeneycher, Typographus dives, qui jam an. 1558. libros impreſſerat. Ex ejus officina an. 1573. prodiit ſcriptum ſine autoris nomine, cui titulus: Rozſądek o ſprawach na elekcyi Warſzawſkiey do koronacyi należących: quod magnas fecit turbas in comitiis 1574. Cracoviæ celebratis, in quibus Henricus Valeſius Rex Poloniæ coronabatur. Re igitur magna cum contentione animorum agitata, Siebeneycherus à FIRLEIO, Mareſchalco regni, in carcerem conjectus eſt; quem verò Joannes Demetrius Sulicovius, qui poſtea Archiepiſcopus Leopolienſis factus eſt, liberavit, apertè ſe libri autorem profeſſus. Sulikovii Commentar. rer. polon. pag. 25. Hoffmanni Tract. de Typographiis in Regno Poloniæ pag. 12. edit. Gedani 1740. in 4.

# DOCVMENTA
# ET
# AVGMENTA.

Lit. A. ad §. XIV. nro. 5.

# Articuli Judicii Mareſchalcalis.

*Joannes III. DEI Gratia Rex Poloniæ, M. Dux Lithv. Ruſſiæ, Pruſſiæ. Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſci, Czernichoviæ.*

*Univerſis & Singulis notum facimus, quod unanimem ſententiam Ordinum utriusq; Gentis, & Poloniæ & M. D. L. in Comitiis præſentibus Generalibus congregatorum, ſequentes, & tempore Comitiorum, aliisq; in locis, ubi Nos præſentes adfuerimus, communem pacem tuentes & conſervantes, Articulos infra ſcriptos, ſecundum quos Officium Mareſchalcale, delinquentes pœna afficere tenetur, proferre in lucem, eosdemq; publicare mandaverimus.*

*1. Primo. Ne quis cujuscunq; ſit Status & Conditionis, tam advena quam indigena, nemine excepto, audeat atq; conetur in domibus æque ac plateis jurgia & lites movere, aculeatis & bonam aliorum famam lædentibus verbis uti, tumultus & ſeditiones in vitam aliorum concitare, ad certamen ſingulare alterum provocare, diverſoria & domos vi adgredi vel jubere eas invadere, injuriam ſibi illatam quocunq; modo privata auctoritate, ſed tantum per eos, penes quos poteſtas eſt, vindicare; Si quis in his rebus deliquerit, judicari debet in recenti facto & crimine, ſine ullis exceptionibus ab Officio Mareſchalcali, & ſecundum delictum ſuum, ut Leges & Conſvetudo requirunt. Si quis talem turbatorem defendere ab Officio vellet, isq; complex defenſurus occiſus fuerit, impune id erit; ſin minus, eadem qua autor pœnâ afficiendus eſt. Quodſi verò poſt patratum facinus diſceſſerit, neq; in recenti crimine comprehenſus fuerit, Citatio literis ſcripta adverſus illum in ejus diverſorium deferatur. Niſi ad eam termino præfixo ipſe, vel per Plenipotentem ſuum in Judicio comparuerit, in contumaciam ipſius, præmiſſo tamen ſcrutinio, de facinore per ipſum perpetrato, pœna infamiæ afficiendus eſt.*

*2. Ne quis audeat in oppidis, cum publici Conventus celebrantur, in ſuburbiis, locisq; ejus circumjacentibus, vel alio quocunq; in loco, ubi Sedes Noſtra Regia fuerit, cum bombardis, levibus ſecuribus, malleis roſtratis,*

*armis*

*armis inuſitatis, & generaliter cum armis & in armis ſeditionem præ ſe ferentibus, incedere, multoq́ minus Arcem ingredi, aut curru invehi; id ſi quis fecerit, à Judicio Mareſchalcali mulctandus eſt quatuordecim marcis ex delatione cujusvis. Si quis bombardam geſtaverit, eamq́ exploſerit, comprehendi debet ab Officio Mareſchalcali, & in cuſtodia teneri, donec mulctam eidem Officio ducentarum marcarum Polonicalium, Conſtitutione Anni 1611. præſcriptarum, perſolverit; quam rem ſi is, in cujus cella aut ante domum ejus exploſio facta eſt, ad Officium Mareſchalcale non detulerit, mulctandus eſt ab eodem Officio quatuordecim marcis.*

*3. Cum etiam multum interſit, Nobis præſentibus, maximè verò in Comitiis, ubi publica Conſilia Reipublicæ agitantur, ne quis advena, cujuscunq́ ſit ſtatus & conditionis, ſive ſit ſub prætextu mercium aut mercaturæ, ſive ob aliam privatam cauſam, audeat atq́ conetur privata auctoritate, ſine ſcitu D. D. Mareſchalcorum ſeu Miniſtrorum, ad cauponas divertere eaq́ conducere, ſub pœna arbitraria Officii Mareſchalcalis; & ſi hoſpes primo vel ſecundo die, de tali homine Officium Mareſchalcale certius non faciens, eum in domum ſuam ſuſceperit & ſervaverit, is tanquam inobediens voluntati & mandato Noſtro, ab Officio Mareſchalcali afficiendus eſt pœna triginta marcarum Polonicalium, in inſtanti perſolvendarum, & ſeſſione turris per ſex ſeptimanas.*

*4. Vbicunq́ etiam tempore Comitiorum, vel alio loco, Nobis præſentibus, lites & rixas inceperit, colaphos impegerit, aut quempiam lividum reddiderit, acinacem ſtrinxerit nullo vulnere inflicto, mulctandus eſt pœna ſexaginta marcarum, & ſeſſione turris per dimidium anni. Si quis alium vulneraverit in Arce vel in vicinia Arcis, item invaſerit in diverſorio, aut ex inſidiis, ſive ſit in domo, ſive in foro ſeu in platea, capitis damnari debet; ſi quis verò contentione inductus aut benè potus, vulnus alicui inflixerit longius ab Arce in platea, vel alio in loco, is redimendo ſupplicium capitis, mulctam ducentarum marcarum parti & Officio per medium ſolvere tenetur, & in turri per duodecim ſeptimanas ſedere. Is verò, qui in juſta defenſione vitæ, gravi laceſſitus injuriâ aliquem vulneraverit, arbitrio Judicii Mareſchalcalis ſubjacebit. Si quis verò poſt patratum facinus diſceſſerit, is pœna infamiæ afficiendus eſt.*

*5. In diverſoriis, ut quisq; ſe honeſtè & modeſtè gerat, nihil criminis committat, & ſedulo caveat, ne quod periculum ex igne oriatur. Quam ob rem omnis hoſpes habeat aquam in vaſis, uncos, ſcalas aliasq; res ad id pertinentes, imo apud coquinas in foro aliisq; in locis exſtructas, ut iſta vaſa commemorata propter periculum ex igne oriundum, parata ſint. Cujus rei Officium Mareſchalcale rationem habere, & inobedientes ac negligentes mulctare debet pœna quatuordecim marcarum. Si quis vaſa aquâ repleta, aliasq; res ad id pertinentes diſſecuerit & conciderit, pœna centum marcarum afficiendus eſt.*

*6. Tubarum clangor, excepto eo qui fit ad menſam, & ingredientibus D. D. Senatoribus, occentusque tibiarum, ne audiuntor, niſi die, minimè verò nocte; quoniam exindè contentiones inter tibicines & Auletas oriri ſolent.*

*7. Dominis Legatis exterorum Principum, nec non eorum miniſtris, ut quisque debitum honorem exhibeat. Quodſi verò quis non ſolum injuria aliquem aſſecerit, verum etiam offenderit & ludubrio habuerit, is ab Officio Mareſchalcali, prout deliquerit, pœnâ afficiendus eſt.*

*8. Si cui vis in platea inferatur; ſi quis die vel noctu lapides feriens ſcintillare fecerit, lateresque disjecerit, hunc miniſtri Officii Mareſchalcalis, aut cuſtodia militaris, tanquam protervum capiant, nec ullius hominis rationem habeant, quin potius Officio Mareſchalcali tradant, & de facinore ejus omnia ritè deferant. Tum ex allegatis & probatis Officium Mareſchalcale Decretum ſecundum Leges edere debet. Et ſi quis in tali facto & delicto comprehenſus fuerit, ſubjacebit pœnæ de vi & vulneribus inflictis ſupra commemoratæ; ſi verò perpetrato facinore diſceſſerit, pœnis ſupra ſcriptis ſubjacebit.*

*9. Pueri, adoleſcentes, Coſaci, agaſones, & alii infimæ ſortis homines, ne fremitus & clamores in Arce edant; & ſi quis tam procax fuerit, mox ibidem ab miniſtris Officii ejusdem prehendi, & juxta delictum puniri debet, neq; ipſi Domini, eorumq; ſervi illos tueri debent; quisque enim ſuos domi inſtituere poteſt, quomodo ſe in Aula Noſtra gerant. Neq; in penetralia & cubilia Noſtra irruant, ſed in inferiori parte ædium ſint; pedites verò ante Arcem, ſub pœna ſupra ſcripta, ſeſe detineant. Agaſones aliique ſervi, cum equis ſuorum Dominorum, nec non cum curribus,*

ut

*ut à latere ſtent; nam frenis equorum laxatis, ſæpius homines ſolent offendi.*

10. *Omnis plebs tam urbana quam peregrina, Turci, Tartari feri, Judæi, & quivis alius, ut ante penetralia maneant; & ſi quis tam procax fuerit, ſecundum delictum ſuum puniri debet.*

11. *Et cum homines tam protervi & audaces ſint, ut alter in alterius diverſorium ſine ſcitu divertat; occurrendo omnibus litibus & diſſidiis quæ ex ea re oriuntur; ſi quis id fecerit, ut deſignatori hoſpitiorum inſurrexerit verbis inhoneſtis, ab Officio Mareſchalcali ſeſſione turris puniendus eſt: & ſi quis protervè deleverit inſcriptionem deſignatoris, vel inſignia ipſo deſignante, hoſpitio affixa detraxerit, is pœnæ triginta marcarum ſubjacebit.*

12. *Qui officio nullo in Aula funguntur, neq; honeſtæ mercaturæ dediti ſunt, neq; vitam convenienti ratione ſuſtentant, vagabundi, errones, circumforanei, aleatores, qui ludis, furto, fraudibus & ebrietati dediti ſunt, ne in urbe ejusq; vicinis locis ſint, neq; ſub quocunq; prætextu habitent. Quicunq; verò, publicatis hisce Articulis repertus fuerit, comprehenſus loco publico ad columnam cædetur, & ex urbe expelletur; quodſi redierit, capitis damnabitur, nec quisquam eum ſub pœna complicitatis tuebitur. Si quis verò tales nebulones in domo ſua ſervaverit, iſthæc domus pœna afficietur; & ſi inſimulatus diſceſſerit, ſi fuerit poſſeſſionatus, in contumaciam pœnâ infamiæ afficiendus eſt.*

13. *Inſtitores, cupæ, circumcurſantes, vectores, qui in ſuburbio & viis publicis aliis præcurrunt, & emta ab illis, qui victum in urbem adferunt vel aſportant, ſpe lucri in foro multò carius vendunt. Si quis id facere auderet, in ſuburbiis aliisq; in locis ad unum milliare ab urbe, isq; convictus fuerit, mulctabitur pœna quatuordecim marcarum Polonicalium, vel iis deficientibis, ſeſſione turris, & ablatione eorum, quæ coëmerant, excepto foro, ubi licebit omnibus, ſublato ſigno Civitatis in Curia, quod ſignum usq; ad horam decimam ſuſpenſum erit; neq; ſe eo tueri audeat, quod ſit ſervus cujusdam Domini, cum nemo cauſam talium, in detrimentum aliorum in ſe ſuſcipere debet. Eidem pœnæ ſubjacebunt illi, qui ligna emta lucri cauſa iterum vendunt.*

 14. Cau-

*14. Caupones in domibus, cellis & tabernis, potum nullum ultra horam octavam propinabunt, neq; ignem niſi ad dictam horam, facient. Si quis id fecerit, àmittet vas cum potu, & ſeſſione turris punietur.*

*15. Ne quis in Civitate & ſuburbiis res ullas mercatoribus, opificibus & cauponibus vi eripiat, ſed ex conſtituto pretio ſolvat; & qui vendunt res ſuas, ut vili pretio vendant, ex Conſtitutione Officii Mareſchalcalis. Et ſi quis vi aliquid eripuerit, ſi is fuerit Nobilis, in duplo, quod eripuit, compenſabit; ſi nullus Nobilis, pœnam luet reſtituendo id, quod vi eripuit, & ſedendo in turri.*

*16. Piſtores, braxatores, caupones, piſcatores, opifices varii generis, merces operasq; ſuos, ex Conſtitutione Officii Mareſchalcalis, juſta cum menſura vendent. Et ſi quis auderet, carius quam conſtitutum eſt, vel menſura & pondere leviori, poculenta mercesq; ſuas vendere, toties quoties pœnæ quatuordecim marcarum ab Officio Mareſchalcali conſtituendæ, ex delatione cujusvis, ſubjacebit. Si quis autem alium in mercibus & potionibus fefellerit, is amiſſis mercibus & poculentis, pœnam Officii Mareſchalcalis non effugiet, ſalva evaſione, niſi ſufficientes adſint probationes. Ne quis merces diebus feſtis exponat & vendat, ſub pœna quatuordecim marcarum, neque vinum crematum ante concionem Diebus Feſtis propinet, præſertim ſub Arce, pœnam luiturus quatuordecim marcarum.*

*17. Quoniam homines protervi ſæpius pœnas in vulnerationem ſancitas, Nobis præſentibus, fraudulenter effugiunt, quivis Chirurgus, explorato prius vulnerato, Officio Mareſchalcali, certior factus, quod ei nomen ſit, & à quo vulneratus ſit, indicet ſub pœna quatuordecim marcarum Polonicalium, ex delatione cujusvis, in Officio Mareſchalcali repetenda.*

*18. In Judiciis Officii Mareſchalcalis, ut quivis ſe honeſtè & modeſtè gerat, ſub pœnis in Legibus publicis de Securitate Judiciorum conſtitutis.*

*19. Securitatem ſerio miniſtris Officii Mareſchalcalis, qui pacis publicæ rationem habent, conſervantes declaramus, quod is, qui quenquam illorum verbis laceſſiverit, ſeſſione turris puniendus, qui verò manu vim intulerit, ſine inflicto vulnere, capitis damnandus ſit.*

*20. Fœminæ incaſtæ, quæ honeſtis & neceſſariis mercaturis faciendis rem ſuam non quærunt, neq; laborant, neque nuptæ maritis, ne in civitate*

*& ſuburbiis commorentur & habitent, ſi qua ibidem eſſet & reperiretur, comprehenſa ad columnam virgis cædetur, notaque ipſi in auribus inuretur.*

*De hisce igitur & aliis, tempore Comitiorum, Nobisque præſentibus, in quocunque loco perpetratis factis, quivis & cujuscunq; conditionis homo, nil excipiendo ad Forum Competens, neque ſe tuendo ullis in cauſa exceſſuum Privilegiis, uti in recenti facto & crimine, cauſam dicere tenetur coram Officio Mareſchalcali.*

*Alexander Hilarius Polubinski,*
*Supremus Mareſchallus M. D. L.*

*APPROBATIO ARTICULORUM JUDICIORUM MARESCHALCALIUM.*

Articulos Judiciorum Mareſchalcalium, in omnibus Punctis, conſentientibus omnibus Ordinibus, in Comitiis Generalibus M. D. Lith. Grodnæ congregatis, approbando, in Volumen Legum inſerere eos commendamus: & Miniſtros Mareſchalcalium Judiciorum, Judicem & Notarium Regni Pol. & M. D. L. ſub eadem ſecuritate, tanquam Nuntios Terreſtres haberi volumus, & à Judiciis quorumvis Subſelliorum, tempore Comitiorum, quatuor ſeptimanas ante Comitia, totidemque poſt Comitia, ne ad ullum Judicium pertracti cauſam dicant, tam in Regno Pol. quam in M. D. L. excipimus.

Lit. B. §. XIV. nro. 6.

# Judicii Compoſiti Generalis ſive Kapturalis Articuli.

Ex Załaſzowſkii Jur. Publ. fol. 195.

1. Inprimis Articulus Confœderationis anni 1587. fol. 414. reſpectu adventus exterorum, & tormentorum bellicorum, ſic declaratus eſt: Legiones, vexilla exterorum cujuscunque Nationis, tam equitum quam peditum, ſimiliter & tormenta bellica, nemo intra tria milliaria à Varſavia, nec apertè nec clam, intra dictum ſpatium occultare audeat & præſumat; alias ex delatione cujusvis, ad Inſtantiam Inſtigatoris Regni, ſi regnicola: ſi M. D. Lith. id fecerit,

ad Inſtantiam Inſtigatoris M. D. Lith. citatus ad Judicium Kapturale Compoſitum, & legitimè convictus, pœnâ excluſionis ab omni Actu Electionis puniatur, & ſi contumax fuerit, pro hoſte Patriæ declaretur. Similiter reſpectu exterorum, ne aliquis audeat eos ad Electionem adducere, cum illis venire, vel eos fovere, declaratus eſt Articulus dictæ Confœderationis 1587. fol. 414. quod pro Exteris non ſunt habendi Terrigenæ Provinciarum Regno & M. D. Lithv. incorporatarum, licet lingva, habitu, à Polonis diſcrepent. Ita anno Domini 1632. & anno 1648. & an. 1674. fol. 2. Similiter ſi aliquis non ad expeditionem aliquam bellicam, ſed propter domeſticum ſervitium, unum vel plures Exteros foveret, pœnam prædictam non ſubeat. Ita anno 1632. & anno 1674. fol. eod. Similiter ſi aliquis exterus, ad videndum & ſpectandum Conventum Ordinum pacificus veniret. Ita 1632. 1674.

2. Veniens ſive ex civitate Varſavienſi, ſive ex quibuscunque ſtativis ſuis, ad locum, in quo Senatus cum Equeſtri Ordine pro conſultatione conveniunt, armata manu, ab Actu Electionis ad Inſtantiam Inſtigatoris Regni, ex delatione cujusvis, amoveatur. An. 1632. fol. 2. & an. 1674. fol. eod.

3. Ad locum, in quo Senatus cum Equeſtri Ordine conſultant, veniens cum bombarda, arcu vel aliis armis, præter ſolitis, hoc eſt, frameâ, enſe, gladio ancipiti, vel ſimilibus, pœnâ jam non colli, ut ſupra, ſed ducentarum marcarum, & ſeſſionis in turri per ſex hebdomadas puniatur. Citatus ſi ad Judicium non veniat, banniatur. An. 1632. 2. Idem & 1648. fol. eod. & 1674.

4. Cum ſecuri adunca, Polonice zCzekanem, & pugione, nemo ad locum Electionis eat, vel in eodem loco Electionis, vel ex illo diſcedens nemo portet, ſub pœna ducentarum marcarum. Anno 1632. 1648. 1674. fol. 2.

5. Pedites & plebeji ad locum vallatum ne introeant, ſub pœna arbitraria civili; Ita in omnibus dictis annis, fol. 2.

6. Stativa & hoſpitia, tam in civitate, quam in villis, per Officium Dominorum Mareſchalcorum aſſignata, & tam ſua, quam conducta,

ducta, nemo audeat occupare, alias ex nunc condeſcendant. Arma ſeu Stemmata Natalitia appoſita ſurripiens ſeu avellens, aut inſcriptiones ab Officio Mareſchalcali factas, delens, ſi perſona Nobilis fecerit, pœna ducentarum marcarum, & ſeſſionis in turri per totum Actum Electionis, ſi verò plebejus, abſciſſione manus, præmiſſa inquiſitione officioſa, puniatur. Anno 1632. 1648. 1674. fol. 2. ubi fol. 3. hoc additum eſt: Securitati hoſpitiorum conductorum, vel ex Officio Mareſchalcali datorum, ſimiliter & palatiis Curiarum Dominorum Senatorum & Equeſtris Ordinis utriusque Gentis, ad Electionem venientium proſpiciendo, ſerio cavemus, ne ſub prætextu rixarum, tumultuum, acceptionum ſub cuſtodiam, alias pod Wartę, reorum aggreſſiones violentæ hoſpitiorum, convulnerationes, direptiones ſupellectilis fiant ſub pœna invaſionis domus Nobilis in Statuto Regni deſcripta. Quodſi reus ad hoſpitium Senatoris vel Nuntii aufugiat, ibidem areſtetur; quem reum ſic areſtatum, ſi Principalis diverſans ad requiſitionem Officii vel brachii Mareſchalcalis in inſtanti noluerit extradere, citatus ad Judicium Compoſitum Capturale eundem ad Inſtantiam Inſtigatoris alterutrius Gentis, ſtatuere teneatur.

7. Curias Spiritualium & Nobilium violenter absque conſenſu Dominorum occupans, poſt primam admonitionem Judiciariam, condeſcendere & pœnam duarum marcarum parti, & totidem Judicio ſolvere & damna refundere tenetur. 1632. 1648. 1674.

8. In ſtativis ſuis in civitate, ſuburbiis, villis & in quolibet loco, ad quem Palatinatus ad ſtativa & papiliones conveniunt, & in quo Senatus cum Equeſtri Ordine conſultant, ſimiliter in via, ponte, ſibi obviando, unusquisque modeſtè ſe gerat, ſub pœna arbitraria Judicii civilis, præmiſſa Inquiſitione pro qualitate facti, cuivis irroganda.

9. Bombardam oneratam globo, per civitatem vel ſuburbia portans, vel eam explodens; pœna ducentarum marcarum, ſi poſſeſſionatus; ſi impoſſeſſionatus, ſeſſione in turri per medium annum puniatur. Quæ pœna & ad famulos ſimilia facientes, extenditur.

10. Arma eximens in loco vallato, etiamſi non vulneraverit, Nobilis pœna ſeſſionis in turri per ſex hebdomadas ſuſtinenda, & ducentarum marcarum; plebejus pœna colli puniatur. Vulnerans autem vel occidens, etiam plebejum, in quocunque loco, ſive in via, ſive in civitate, ſive in oppidis, villis, ſtativis, pœna colli puniatur. Citatus ad Judicium non veniens, infamis pronuncietur.

11. Tumultus, rixas excitans in loco Conſultationis Senatus & Equeſtris Ordinis, eximendo arma, vel percutiendo aliquem, pœnâ colli, prævia inquiſitione, puniatur.

12. De ponte aliquem deliberatè dejiciens, pœna ſeſſionis in turri per annum & ſex ſeptimanas, & ducentarum quadraginta marcarum puniatur: & ſi dejectus ſubmergatur, pœna colli puniatur.

13. Vaſa, in quibus pons conſtitutus eſt, deſtruens & ligna eximens, pœna arbitraria Judicii Civilis puniatur.

14. Ad locum, ad quem Ordines conveniunt, nemo in equo vel curru veniat, & præcipuè ad locum vallatum; monitus ab Officio Dominorum Mareſchalcorum, tam Regni quam M. D. Lithv. pœnâ arbitraria Civili à Judicio Capturali Compoſito puniatur.

15. In portis in vallo conſtitutis, vel in circo rixas faciens, pœna arbitraria Civili puniatur.

16. Famuli inferioris ætatis (alias Pacholęta) & aliæ perſonæ leviores, ad locum Conſultationis non audeant introire, & in aliis locis modeſtè ſe gerant, & præcipuè circa Audientiam Legatorum ab exteris Principibus miſſorum; & eisdem Legatis, & eorum famulis, debitum honorem exhibeant. Quodſi aliquis inſolens flagro aut baculo exceptus fuerit, Dominus illius non ægrè ferat.

17. Vendentibus in civitate, ſuburbiis & ſtativis, nemo audeat aliquid ex mercibus violenter rapere, ſed juxta taxam Dominorum Mareſchalcorum & Deputatorum, tum Officii Domini Palatini Mazovienſis, & Officii Caſtrenſis Varſavienſis factam, emat; ſi autem aliquis ultra hanc taxam, vel minori pondere aut menſura auderet vendere, talis, toties quoties à Judicio Dominorum Mareſchalcorum & Deputatorum, pœna quatuordecim marcarum; rapiens autem vio-

violenter, convictus, pœna dupli puniatur. Quodſi injurians, termino facto citatus non compareat, banniatur. Prædicta tamen taxa tantum in civitate Varſavienſi, & in oppido vicino dicto Praga, & non alibi obſervetur, ſtatutum eſt.

18. Nullus vector aut venditor, à hora octava matutina ad nonam in medio horologio, Varſaviam per pontem in curribus ingredi, nec in plateis civitatis & ſuburbiorum tranſitum anguſtient impedimentis aliquibus; ſimiliter & poſt meridiem à hora quarta ad quintam; & hoc ideò, ut Domini ex illa parte Varſaviæ ad locum Conſultationum ire, & ad ſuas ſtationes & hoſpitia redire absque difficultate poſſint, ſuper quo famuli Dominorum Mareſchalcorum invigilent.

19. Circa locum, in quo Senatus cum Ordine Equeſtri conſultant, nemo crematum vinum, cereviſiam & alium liquorem vendere audeat, ſub pœna amiſſionis liquoris.

20. Moneta Reipublicæ & horum, qui in corpore fide obſequio Reip. ſunt, & Jus cudendæ monetæ conceſſum à Republica habent, illa tantum, quæ ante ceſſationem generalem, ſecundum præſcriptum Legis cuſa, in pari & æquali valore ſit & habeatur.

21. In hoſpitiis tam in civitate, quam in omnibus oppidis, ſtativis, quilibet modeſtè ſe gerat, nullos exceſſus faciat, periculum ignis obſervet, ad quem effectum patresfamilias aquam in vaſis, ſcalas & alia neceſſaria habeant. Similiter penes culinas in foro exſtructas, vaſa cum aqua habeantur. Super quibus Officium D. D. Mareſchalcorum attendat, negligentes & inobedientes pœna quatuordecim marcarum puniat. Vaſa autem cum aqua, & alia neceſſaria ad exſtingvendum incendium deſtruens, diſſecans, pœna ſeſſionis in turri per ſex ſeptimanas ſuſtinenda & refuſionis damni puniatur.

22. Victualia, liquores, merces cujuscunq; generis, ad civitatem & ſtativa unicuique vehere permiſſum eſt. Revenditoribus tamen & revenditricibus prohibitum eſt illa præripere, ſub pœna quatuordecim marcarum, & amiſſionis rei emptæ.

23. In domibus, cellariis, tabernis, nemo liquorem vendere & propinare, ignem fovere, poſt horam octavam noctis in medio horologio audeat, ſub pœna amiſſionis liquoris, & ſeſſionis in turri.

24. Nullus exterorum in locum, ubi publica negotia tractantur, introire audeat; ſimiliter neque ad civitatem & ſtativa venire ſub prætextu mercimoniorum, absque ſcitu D. D. Mareſchalcorum utriusque Gentis præſumat: de quibus patresfamilias Officium D. D. Mareſchalcorum certiores faciant, ſub pœna arbitraria Civili.

25. In loco Judiciorum D. D. Mareſchalcorum utriusque Gentis, & D. D. Deputatorum, unusquisque modeſtè ſe gerat, ſub pœnis in Jure de Securitate Judiciorum Tribunalitiorum Regni deſcriptis.

26. In domibus, tam in civitate quam oppidis, villis, ſtativis, ſimiliter in via & tranſitu, violentias, exceſſus faciens, ad delationem injuriali, coram Judicio Capturali Compoſito citatus peremptoriè, comparere tenetur & judicatum pati.

27. Ad duellum provocans, pœna ſeſſionis in turri per medium annum ſuſtinenda, & ſexaginta marcarum puniatur.

28. Reſpectu præmiſſorum & quorumcunque aliorum exceſſuum, ſub tempus Electionis commiſſorum & perpetratorum, quilibet, cujuscunque conditionis fuerit, coram Judicio D. D. Mareſchalcorum & D. D. Deputatorum utriusque Gentis, tanquam in recenti crimine reſpondere & judicatum pati debet.

29. Decreta autem hujus Judicii, Notarius Terreſtris Varſavienſis (qui ad hunc Actum ſuper Secreta Judicii, juramento prius præſtito aſſumitur,) terminare & cum Actis Comitiorum habere & conſervare, & cum ſua ſubſcriptione Copias requirentibus extradere debet; ſententiam tamen ſuam non poteſt ferre: ſalarium autem, prout Notarius Terreſtris Seradienſis habet. Decreta autem ipſa tres Deputati, unus ex Minori, alter ex Majori Polonia, & tertius ex M. D. Lithv. propriis manibus ſubſcribunt.

30.

30. Contra famulos D. D. Mareſchalcorum in Officio exiſtentes, conſurgens vel percutiens, abſciſſione manus; vulnerans pœna colli punitur. Famulus autem D. D. Mareſchalcorum, aut D. D. Deputatorum, in Officio excedens, à D. D. Mareſchalcis & Deputatis judicatur, pro qualitate delicti & exceſſus pari pœna, prout alii delinquentes, punitur. Circa quod reaſſumta eſt Confœderatio ann. 1573.

31. Si aliquis ex Dominis Judicibus deliquerit, in eodem Judicio judicatur, & iisdem pœnis pro qualitate delicti & exceſſus punitur. Dum tamen cauſa ipſius vel famuli ejus judicatur, à loco Judicii recedere debet.

32. Cuſtodes vitæ ſuæ cujuscunque Nationis, alias Gwardyą, nemo ex ſtativis ſuis in campum ducere, & tanto magis ad locum, in quo Senatus cum Ordine Equeſtri conſulunt, appropinquare audeat, ſub pœna infamiæ, ad Inſtantiam Inſtigatoris Regni, ſi Regnicola, ſi ex M. D. Lithv. ad Inſtantiam Inſtigatoris ejusdem Gentis, in Judicio Capturali Generali Compoſito decernenda & publicanda. Quibus omnibus D. D. Mareſchalci ex Officio ſuo pro ſecuritate publica, tam in civitate quam in campo, & tantò magis circa locum convallatum, per milites ſuos & famulos proſpicere tenentur.

33. Exactiones in ponte, ab hominibus Equeſtris Ordinis & famulis eorundem, tam à curribus cum leguminibus pro neceſſitate Dominorum transeuntibus, nullæ fiant. A mercatoribus autem, ſolitum telonium pontis, ab equo unus groſſus tantùm & non amplius exigatur, ne per depactationem & aggravationem victualia majori pretio vendantur. Similiter ne violentiæ aliquæ alicui à militibus præſidiariis, transeuntibus per pontem, cujuscunque conditionis fuerint, fiat. Quibus Præfecti militum diligenter attendant; ſecus faciens pœna arbitraria Civili à Judicio Capturali Compoſito puniatur.

34. Decreta Judicium hoc Capturale Compoſitum, in omnibus cauſis ex pluralitate votorum concludit, duorum vel trium abſentia non obſtante.

Lit. C. §. XII.

# Supremi Mareſchalci Regni.

(Ex Nieſieckio.)

1. Dobiesław Fredro, Stemm. Boncza, circa annum 1366. conf. Pabrocki Nid. Virt. it. de Arm. Okolſki T. I. Glinka Jednoroziec. Hic omiſſus à Naramowſki in Libro, cui præfixus Titulus: Auroræ Solis Sarmatici, anno 1727 edit.

2. Johannes Schoff, 1378. conf. Vladislai Regis Literas ad civitatem Leopolienſ. Etiam hunc præteriit Naramowſki. Opinor eundem fuiſſe Johannem de Morowicy, ſtem. Topor-Ovis, alias Schof, ſeu Schaf, è Germano Schaaſ/ dictus, ut habent Literæ Caſimiri Regis apud Pabrockium de Sign. f. 53. vel (quod veriſimilius) fuiſſe Polonicam Familiam Nobilem de Schaaſ/ quemadmodum quoque alium ejusdem nominis in Regiis Literis reperi. Ad hunc ipſum annum retulit Naramowſki Raphaelem Granowſki, ſed ſine certo auctore. Fortè nominare voluit Raphaelem Tarnowſki, quem neſcius omiſit; de quo infra. Okolſki quidem huic Granowſki conceſſit locum inter Mareſchalcos, ſed nullum quoque citavit auctorem; ego verò ex Privilegiis, ad quæ me refero, certus ſum, eum minime gentium Mareſchalcum fuiſſe. (Conf. Załuſkii Specimen Hiſt. Pol. Criticæ.)

3. Nicolaus de Brżeźia, ſtemm. Zadora. Dlugoſſ. 1389. Okolſki T. 3, Moniment. Lankorwſki 1382. Pabrocki in Nid. f. 1001.

4. Raphael Tarnowſki, ſtemm. Leliwa, Caſtellanus Sendomir. 1391. conf. Pabrocki f. 377. omiſſus eſt à Naramowſki.

5. Demetrius de Gorau, ſtemm. Korczau, 1399. conf. Pabr. f. 536. Jagelli Regis Liter. in Horto Okolſki T. 1. quem etiam Naram. tacuit.

6. Zbigneus de Brzeźia, ſtemm. Zadora, mort. 1425. conf. Jagelli Lit. 1421. ap. Laſk. in Statut. f. 171. & 1413. f. 127. Dlug. 1427. & 1416.

7. Johannes Glowacz ex Oleśnica, ſtemm. Dębno, Sendomirienſis Palatinus factus 1440. conf. Liter. Jagelli 1433. apud Laſk. fol. 152. & 1438. f. 129. Miechov. L. 4.

8. Nicolaus de Brzeźia, ſtemm. Zadora, mort. 1458. conf. Lit. Vladislai 1441. ad civitatem Leopol. 1458. apud Lipſk. Quæſt. Publ. f. 68. Lubelſc. 1456. omiſſus eſt à Naramowſki.

9. Johannes Ryswian, ſtemm. Jaſtrzębiec, Caſtellanus Sendomir. factus Cracov. Palatinus 1477. Bielſk. 1459. f. 416. conf. Lit. Caſimiri Regis ad civit. Leop. 1475. Dlug. Neugeb. Bielſk. f. 467. Crom. L. 28.

10. Raphael Jaroslawſki, ſtemm. Leliwa, Caſtellanus Voynicenſis, mortuus 1493. Przyluſ. Statut. f. 808. 1485. Januſzov. f. 1015. Nakiel. f. 543. Okolſk. T. 2. fol. 160. 1480. Cromer. L. 30. Bielſk. fol. 481. Juxta alios obiit anno 1491.

11. Petrus Kmita, ſtemm. Srzeniawź, Capitaneus Cracovienſis, mortuus 1505. conf. Alberti Regis Lit. ad civit. Leopol. 1497. Laſk. Statut. f. 110. Hunc ignorat Naramowſki. Hiſtorici, quos pro alio ſive ſecundo Petro Kmita, qui etiam Supremus Regni Mareſchalcus & Palatinus Cracovienſis, filiusque fuit primi, de quo hic loquimur, allegat, huc non pertinent, e. gr. Vapowſk. f. 602. & Cromer. Lib. 30. niſi quod neuter Petri II. Kmitæ fecerit mentionem.

12. Petrus Myſczowſki, ſtemm. Jaſtrzębiec, Capitaneus Łęczyc. mortuus 1507. conf. Alexandri Regis Lit. apud Pabrock. de Sign. f. 56. Okolſk. T. 1. eum præteriit. Naramowſki loco cit.

13. Stanislaus de Chodcza, ſtemm. Poray, mortuus 1529. conf. Sigismundi I. Lit. ad civitat. Leopol. 1506. 1510. 1526. apud Olſzow. Wapowſk. Naramowſki hic duos Stanislaos collocavit, ſuccedentes, alterum de Chodcza, alterum Stanislaum Halicki. Verum enim verò tantum fuit unus, Stanislaus de Chodcza, quem, ut & ejus fratres, Ottonem Capitaneum Cracovienſem, & Paulum Caſtellanum Radomienſem, quoniam à patre Halicki erant generati, non ſolum vulgus, ſed etiam quidam Hiſtorici appellarunt Halicki; quemadmodum etiam Chodeck, ut ſe nominabant, ſub Halicz reperitur nomen; de quo infra.

14. Petrus Kmita, ſtemmat. Szeniawz, Palatinus Cracovienſis, mortuus 1551. conf. Sigismundi I. Liter. 1531. apud Pabrock. de Arm. f. 56. & civit. Leopol. 1550. Vapov.

15. Johannes Mielecki, ſtemm. Gryff, Palatinus Podoliæ, mortuus 1561. Monument. apud Pabrock. f. 84. Literæ Auguſti I. 1557. apud eundem f. 473. Okolſk. T. 1.

16. Johannes Firley, ſtemmat. Lewart, Palatinus Cracovienſis, mortuus 1574. Bielſk. 657. conf. Auguſti I. Lit. 1572. apud Pabrock. f. 524. & Heinrici in Mſc. Petricovienſ.

17. Andreas Opalinſki, ſtemm. Łodzia, mortuus 1593. Conſtit. 1576. fol. 437. & 1589. fol. 523. Sarnicki Præf. Lubienſc.

18. Stanislaus Przymiemſki, ſtemmat. Rawicz, 1593. Lubienſk. Hiſt. f. 1. mortuus 1595. Okolſk. Tom. 2.

19. Procopius Sieniawſki, ſtemm. Leliwa, mortuus 1596. Okol. T. 2. f. 74. Hic omiſſus eſt à Naramowſki.

20. Nicolaus Zebrzydowſki, ſtemm. Radwan, Palatinus Cracovienſis factus anno 1601. conf. Liter. Sigismundi III. ad civit. Leop. 1597. Lubienſk. Hiſt. f. 34. Piaſec.

21. Sigismundus Myſzkowſki, ſtemm. Jaſtrzębiec, mortuus 1615. conf. Sigismundi III. Lit. 1605. In feud. Pruſſ. Conſtit. 1611. f. 16. & 1613. f. 6. Piaſecki.

22. Nicolaus Wolſki, ſtemm. Pulkozic, mortuus 1630. Conſtit. 1618. f. 3. Hiſt. Kobierz. f. 488. Treter. in Varm. f. 154. Piaſec.

23. Lucas Opalinſki, ſtemm. Lodzia, Palatinus Ravenſis factus anno 1649. Conſtit. 1631. f. 18. & 1643. Ord. Elect. 1648. Potock. Cent.

24. Georgius Lubomirſki, ſtemmat. Srżeniawa, Supremus Dux Exercituum Regni, reſignavit anno 1665. Kochov. Climat. 3. L. 6. Załuſki T. 2. f. 659. Manifeſt. Lubomir.

25. Johannes Sobieſki, ſtemmat. Janina, Supremus Dux Exercituum Regni, Rex electus, & poſtea coronatus 1674. Conſtit. 1667. f. 6. Załuſk. T. 2. f. 2. Kochowſk. Climat.

26. Stanislaus Lubomirſki, ſtemmat. Srżeniawa, mortuus 1702. Confirm. Jur. Gent. Joh. III. 1676. Załuſk. T. 1. f. 680.

27. Joſephus Lubomirſki, ſtemm. Srżeniawa, mortuus 1703.

28. Caſimirus Ludovicus Bielinſki, ſtemm. Junoſz, mort. 1713.

29. Joſephus Mniſzek, ſtemm. Konczyc.

Ma-

# Mareſchalci Curiæ.

1. Pełka, ſtemm. Lis, 1634. Conf. Caſimiri M. Lit. apud Nakiel. in Miechov. f. 286. omiſſus à Naramowſki.

2. Johannes de Moſkorzowa, ſtemm. Pilawa, 1397. conf. Liter. Jagelli ad Ruſſiam in Mſc. Leopol. omiſſus à Naramowſki.

3. Laurentius de Kalinowa, ſtemm. Zaręba, 1425. conf. Jagelli Lit. apud Nakiel. f. 413. & 1426. ad civit. Leopol. omiſſus à Naram.

4. Nicolaus de Zakrżowa, ſtemm. Gryff. conf. Lit. Vladislai I. apud Laſk. in Statut. f. 171. & apud Przyluſ. in Stat. f. 299. omiſſus à Naramowſki.

5. Johannes Bieſiad, ſtemm. Jelita, Signifer Cracovienſis, 1455. conf. Caſimiri III. Liter. ad civit. Leopol. Okolſki T. 1. f. 342.

6. Petrus Dunin de Prawkowic, ſtemm. Labędz, 1460. conf. Lit. Caſimiri III. apud Lask. in Statut. f. 74. Pabrock. f. 450. apud Herb. f. 1. omiſſus à Naramowski.

7. Michael Laſocki, ſtemm. Dolęga, Præfectus Lęczyc. Crom. L. 26. Bielsk. 1466. omiſſus à Naramowski.

8. Petrus de Kurozwęk, ſtemm. Poray, 1475. conf. Liter. Caſimiri III. ad civit. Cracov. Cromer. Dlugoſſ. 1479. Okolsk. T. 3. in Indice. omiſſus à Naramowski.

9. Stanislaus de Brzezia, ſtemmat. Zadora, 1485. conf. Caſimiri III. Lit. ad civit. Cracov. Okolsk. T. 3. in Indice; mortuus 1488. omiſſus à Naramowski.

10. Raphael Leſzczynski, ſtemm. Wieniawa, Caſtellanus Gneſnenſis, mortuus 1501. conf. Lit. Alberti ad civitat. Cracovienſ. & Leopol. an. 1493. Naramowski meminit poſt hunc Petri Kmita, ſinè tamen auctore; ego verò ſupra demonſtravi, Leſzczynskium hoc tempore fuiſſe Mareſchalcum. Poſt Kmita idem Naramowski collocat Johannem Ocieski, Mareſchalcum Aulicum ſeu Aulæ, & provocat ad teſtimonium Okolskii; ſed error typographicus eſt, quod apud Okolskium *Magiſter Curiæ Regni* loco *Regalis* legatur, quod evinci poteſt ex titulo Privilegiorum, quæ infra producentur; niſi

quod

quod Okolski ex Epitaphio ejus Cracovienſi in Templo S. Trinitatis, annum mortis annotavit, 1547. quo tempore Johannes Tęczynski Mareſchalcus exſtitit. Neque Johannes Ocieski fuit filius Johannis Cancellarii, quod etiam tacet Okolski: alias enim filius viginti annos prius, quam pater in Officio fuiſſet. Naramowski ſtatim poſt Kmita an. 1526. filium nominat Mareſchalcum, quo tempore pater Curiæ Mareſchalcus factus poſt mortem ſupradicti 1548. & Supremus Mareſchalcus 1550. Et hoc tantum dicit Okolski, quod Raphael Ocieski & Johannes Caſtellanus Biecki, una cum Mareſchalco Reginæ, ſint Cracoviæ ſepulti.

11. Johannes de Rabſztyna Tęczynski, ſtemmat. Topor, 1503. conf. Alexandri Regis Lit. ad civit. Leopol. 1504. & apud Nakiel. f. 573. omiſſus à Naramowski.

12. Johannes Jarocki, ſtemmat. Rawicz, Caſtellanus Zavichov. conf. Alexandri Lit. ad civitat. Leopol. & Sigismundi I. 1512. apud Olſzowsk. de Prim. & 1515. Lit. ad civit. Leopol. omiſſus à Naram.

13. Petrus Kmita, ſtemmat. Srzeniawa, Supremus Regni Mareſchalcus factus an. 1530. Caſtellanus Woynicenſ. conf. Liter. Sigismundi I. apud Olſzowsk. de Primatu 1519. Vita ipſius. Okolsk. T. 3.

14. Johannes Tęczynski, ſtemm. Topor, Capitaneus Sendomirienſis, mortuus 1553. conf. Lit. Sigismundi I. 1531. apud Pabrock. f. 506. & 1548. apud Olſzowsk. Epitaphium apud Pabrock.

15. Stanislaus Macieiowski, ſtemm. Ciołek, Caſtellanus Sendomirienſis, mortuus 1563. conf. Lit. Auguſti I. 1557. apud Pabrock. f. 473. & ad civit. Leopol. 1553. Bielski.

16. Stanislaus Wolski, ſtemm. Pułkozyc, Caſtellanus Ravenſis, mortuus 1566. conf. Auguſti I. Lit. ad civitat. Leopol. & Proteſt. Epiſc. apud Lipsk. qu. 3.

17. Stanislaus Barzi, ſtemmat. Korczak, Palatinus Cracovienſis factus 1570. conf. Auguſti I. Lit. 1569. apud Okolsk. T. 3. f. 110. Hoſius in Epiſt.

18. Andreas Opalinski, ſtemmat. Lodzia, Mareſchalcus Regni Supremus conſtitutus an. 1530. Argentus de Rebus Societat. f 394.

Cichoc.

Cichoc. Alloq. Oſecen. Epicedia. Poſt Opalinſki locum accepit à Naramowſki Comes de Gorka, & allegat Bielſkium fol. 727. Hic auctor quidem l. c. bis alicujus Mareſchalli Aulæ mentionem facit, ſed nomen reticet. Et licet Bielſki hunc Comitem Andream Gorka, Caſtellanum Myedrzycenſem, ubi de ejus captivitate eodem anno agit, appellet Mareſchallum, fol. 730. nihil tamen certi ex Bielſkio poteſt Naramowſki affirmare; hoc modo enim Dębinſki etiam inter Mareſchalcos Aulæ eſſet referendus, præſertim quod Bielſki ibidem narrat, huic Dębinſki fuiſſe mandatum, ut Principem Regiam Filiam comitaretur Cracoviam, tanquam Supremus Regni Cancellarius & Aulæ Mareſchalcus. Ego ex allegatis auctoribus demonſtro, fuiſſe illo tempore Mareſchalcum Zborowſki.

19. Andreas Zborowſki, ſtemm. Jaſtrzębiec, qui reſignavit an. 1589. Sarnicki in Præf. Conf. Epiſt. Reg. Stephani ad civitat. Cracov. Pabrocki f. 688.

20. Stanislaus Przyiemſki, ſtemm. Rawicz, Supremus Mareſchalcus factus, & mortuus 1593. conf. Liter. Sigismundi III. apud Okol. Tom. 2. f. 353. Lubienſc. f. 1.

21. Procopius Sieniawſki, ſtemmat. Leliwa, ſuccedebat Supremo Mareſchalco an. 1595. Susliga in Vita ejus Uxoris. Duryewſki in Mſc. Okolſki Tom. 2. f. 74. omiſſus à Naramowſki.

22. Nicolaus Wolſki, ſtemm. Pulkozic, Supremus factus anno 1615. conf. Liter. Sigismundi III. de Feud. Pruſſ. apud Poſſel. 1605 & 1609. Conſtit. 1611. f. 11.

23. Andreas Przyiemſki, ſtemm. Rawicz, mortuus 1618. Okolſki T. 2. f. 592. Piaſec. 87. Duryewſk. in Mſc.

24. Lucas Opalinſki, ſtemm. Lodzia, Supremus 1630. Conſtitut. 1623. f. 7. Petricius 1629. Okolſk. T. 2. f. 166. Hiſt. Poſſelii Polon.

25. Stanislaus Przyiemſki, ſtemm. Rawicz, mortuus 1642. Ord. Elect. 1632. Proteſt. in Comit. 1635. Okolſk. T. 2. omiſſus à Naram.

26. Adamus Kazanowſki, ſtemmat. Grzymała, mortuus 1649. Ord. Elect. 1648. Treter. in Varm. fol. 174. Starovolſc. in Monument. fol. 255.

27. Andreas Lubomirſki, ſtemm. Srzeniawa, Supremus electus an. 1649. Duryewſki in Mſc. Cochov. Clim. 1. f. 174.

28. Lucas Opalinſki, ſtemm. Lodzia, mortuus 1662. Treter. in Poſnan. Polon. Defenſa. Duryew. f. 71. Centur. Potock. f. 421.

